



DESCRIPTIONIS  
INDIÆ OCCIDENTALIS  
LIBER PRIMVS.

De Insulis Oceanicis.

INSULA S. IOANNIS DE PORTU RICO.

CAP. I.

*Insulae S. Ioannis situs, magnitudo, cœli solique natura.*

N S V L A M quam olim incolæ atque accolæ *Boriquen* appellabant, Christophorus Columbus secunda sua navigatione anno *cIoccccxciii* primum adiit & S. Ioannis Baptiste nomini dedicavit. Di-  
stat ab Insula Hispaniola versus ortum quindecim aut sedecim milliaria Hispanica (leucas sive leguas vulgo, quarum septemdecim cum semisse in gradum computant) ab Americæ Australis Continente & Pariæ promontorio versus Arctum (uti ab aliquibus observatum) centum triginta sex, paulo autem pauciora à *Coquibocca* altero e jussdem Continentis angulo. Australe illius latus ultra decimum octavum, Septentrionale paulum intra decimum nonum gra-  
dum latitudinis Septentrionalis jacet: Patet triginta (aut ut aliis placet triginta quinque) leucas in longitudine, ortum atque occasum inter, viginti autem in latitudine; formæ pene quadratae, altera tamen parte longior. Cœli tempesties perjuncta; (præterquam Decembri & Iannuario) neque nimiis æstibus torretur, nec immodi-  
cis imbribus humectatur, nisi forte æstivis mensibus ab exitu nimirum Maij ad Se-  
ptembrem; Mense quoque Augusto & Septembri gravibus interdum tempestatibus & subitis procellis vexatur, (*Huracanes* vocant,) & ab infesto Aquilone hîc sata non-  
nunquam aduruntur. Solum dives & pascuis lœtum, nisi à Guajabis arboribus plu-  
rimum detrimenti acciperet: hæc arbor in aliis quoque insulis atque Continente fre-  
quens, fructus fert instar pomorum, cortice subfuscō, carne rubente & plurimis gra-  
nulis referta, quæ delapsa in solum, abundantia fimi & glebæ ubertate, statim succre-  
scunt tantumque sensim incrementum capiunt, ut planiciem pene omnem sylvarum  
densitate occupent & graminis incrementum sua opacitate impédiant. Quanquam alias hæc arbor & illius fructus non sit inutilis, ut alibi dicemus. Huic malo accedit alterum longe gravius, quod armenta cæteraque animalia natura sua domestica, ita efferentur ut domari amplius nequeant. Terra maxima sui parte modicis collibus intumescit, media autem pene regione in altissimos montes assurgit (*la Sierra del Lo-  
quillo* vulgo vocatur Hispanis) qui ab orientaliori Insulæ cornu, decem supra prima-  
riam urbem leucis versus Euronotum, incipientes, uno & continuo ductu per ipsum Insulæ dorsum, ad latus usque occidentale sese exporrigunt, & haud procul ab urbe S. Germani terminantur.

Her.d.t.  
1.7.c.13.

Her.d.r.  
1.10.c.16.

1.16.C.I.

Fluvii hic frequentes, & præcipiuus (ut Oviedo placet) *Cairabon*: ei proximus *Bayamon* qui versus Boream descendit, & è regione arcis quæ portui præcipuae urbis imminet, sinui maris miscetur: *Luisa* deinde atque *Toa* ab uno fonte, qui ad radices *Guayamo* montis scaturiens (quindecim aut sedecim leuc. ab urbe versus ortum) uno primum alveo versus Arctum descendit, multos utrimque amniculos recipiens, ad *Carrias* montem usque; ibidemque se dividens, uno alveo Luisam municipium præterlabitur; altero versus Corum se fleetens, & jam *Toa* (nam supra divortium incerti est nominis) in portum ejusdem urbis sese exonerat. Denique *Guiane*, *Arezibo*, *Guabiabo*, aliique; quorum nonnulli haud in commodos portus minoribus majoribusque navigiis aperiunt: præter innumeros torrentes, quorum quidam etiam sunt auri- 10 feri; omnium autem opulentissimi & maxime celebres fuerunt *Manatuabon* & *Cebuco*. Non defuerunt olim ditissima argenti aurique metalla, quæ hodie aut sunt exhausta aut operarum inopia negliguntur.

Præter arbores quas cum cæteris insulis communes habet, quædam hic primum observatae, inter quas excellit *Tabernaculo* vel *Taborucu*, candidi cujusdem bituminis ferax, ad navigia impicanda perdonei, pictoribus utilis, & ad vulnera, artuumque vitia, quæ è frigore nata, sananda pene singularis. Secundas fert *Maga* ligno durissimo, & cariei quam minimum obnoxio, quo ad fabrilia opera utuntur: nisi forte utraque hac potior censenda est arbor, quam *Lignum sanctum* vocant, à *Guaiacan* non multum diversa (eandem quippe negat *Oviedus*) & eisdem facultatibus pollens ad- 20 versus luem venereum, si decoctum illius rite sumatur. Accedunt frutices duo: *Higillo pintado*, cuius foliorum succus vulnera potenter conglutinat: & frutex *S. Mariæ*, superiori medendi facultate haud quaquam inferior. Inter noxias herbas eminet *Quibe*, foliis aculeatis, flore violarum æmulo, sed oblongiori, quæ à feris devorata præsentissimum adfert exitium. Fruticeta item multa juxta littora nascuntur, quæ poma quædam ferunt piscibus exitiosa si in aquam decidunt; quin & umbra illius fruticis admodum nocet hominibus, si sub illo obdormiverint, *Macanillo* vocant; sunt autem arbores modicæ, quæ ramos humi spargunt, foliis pene pyri nostratis; ferunt plurimos flores quibus succedunt exigua poma, sed rotunda & producta atque pauxilla rubedine distincta, quæ illa grata aspectu reddit; ad- 30 hæc odore tam suavi, ut vix ulla res illis comparari possit, cæterum perniciosissima & lethalia; ipsaque arboris umbra adeo noxia est, ut si quis forte sub illa obdormiscat, toto corpore infletur horrendum in modum; & si forte roris è ramis decidentis gutta cutem tangat, eam instar aquæ erodentis excoriat: ex fructu venenum immedicable conficiunt Barbari.

Reperitur hic & alia arbor, quam *Insulares* vocant *Guao*, & *Mexican*i, quibus & familiaris est *Tletlatian*; fert folia rubra, villosa & quæ numquam decidunt, crassa, que cum multis venulis ignei coloris: fructus illius viridis, forma & mole similis fructui *Arbuti*. Succus hujus arboris est causticus, ideoque omnia animalia quæ sese huic affrictant, amittunt pilos; hominesque juxta ac bestiæ, si sub illa somnum capiunt, eandem jaætiram patiuntur; & si forte succus aliquod membrum contigerit, exulcerat illud, tanta est vis pestiferæ hujus plantæ. Materiem illius inferunt Euro- 40 pæ, ob peregrinum illius colorem, qui virorem calchanti æmulatur, solentque lectorum fulcræ ex illa facere, quia cimicibus putatur inimica, verum fabrorum manus & ora ita inflantur, dum illam contrectant, ut multis diebus non detumescant.

Præcipuæ hujus Insulæ divitiæ largus cannarum sacchari, gingiberis, cassiae solutivæ proventus, & maxima tergorum taurinorum copia: tantum enim incrementum tauri vaccæque fecerunt, ut tergorum solummodo causa necentur, carnis sub dio canibus & volucribus relictis; hæc Hispani incolæ mercibus Europeis ditissimo commercio mutant; nam de indigenis hujus Insulæ qui quondam innumeri fuerunt, aut nullos aut perpaucos Hispanorum sævitia fecit reliquos; unde supervacaneum foret, de illorum ingeniosis, moribus aut religione quicquam nunc dicere.

## C A P . II .

*Urbes Hispanorum in hac Insula, quarum Metropolis Porto Rico.*

**H**Æc insula anno cIo Io x ab Hispanis primum habitari cœpit, sub præfecto *Ioanne Poncio Legion.* qui ab insulanis & principalijs fororum Regulo *Agueybana* humaniter acceptus & multis muneribus auctus, locum coloniæ ad plagam septentrionalem cepit, unam à mari & præcipuo portu (quem divitem dicunt) leucam, vocavitque illam *Caparram*: sed ob incommodiorem situm & difficiles aditus, post annos decem aut duodecim municipium hoc desertum fuit, & coloni traducti *Guanicam* haud procul à loco ubi hodie *S. Germani* municipium cernitur: qua rursus relicta, haud procul *Aguada*, municipium *Sotomajoris* condiderunt, & demum apud *S. Germanum* conquieverunt. Anno autem cIo Io xi v Regis Hispan. mandato exigua insula, quæ portum præcipuum concludit, jaëtis in alveum qui interluit molibus, & aggere perducto, cum majori conjuncta, initium dedit primariæ urbi, quam à portu cui adjacet, *Pòrto rico* hodieque appellant. Sita est hæc urbs ad septentrionalem hujus insulæ plagam, octodecim gradibus & aliquot scrupulis ab æquatore versus Arctum; nullo quidem muro vallove septa, cæterum egregie structa, plateis latis, & domiciliis ad Hispaniæ normam, raris fenestris, sed late patentibus ostiis, quibus auram admittunt, quæ ab octava matutina ad quartam pomeridianam æstum temperat atque refrigerat, quum ab hora illa quarta ad medium usque noctem hic supra modum ferueat. Templum habet cathedrale elegantis structuræ, dupli columnarum ordine, sed minoribus fenestris, quibus ob vitreorum defectum tenuissima tela cannabina obducta est: & duas minores capellas (ut vocant;) versus boream haud procul ab urbe, Dominicanorum cænobium. Portus illius amplius, tutusque adversus incertæ ventorum, etiam hostiles incursus; angustis enim fauibus oceanum admittit, quibus validum castellum imminet, novis operibus anno cIo Io xc c mandato Regis Hispan. auctum & firmatum, machinis omniq[ue] bellico apparatu egregie instrutum. Eide[m], sed interius, ad eam urbis partem quæ Africum adspicit, aliud castellum adsidet, (*Fortalezam* vulgo vocant:) in quo regii thesauri & apparatus bellici reconduntur: Reliquum hujus minoris insulæ denso luco pene invium est, præter aream unam, & semitas quæ ad aggerem ducunt: huic autem duo minora castella adjacent, ad hostem si ab hac parte versus urbem iter moliatur, arcendum.

Tentavit hanc urbem fortissimus Eques *Franciscus Dracus* anno cIo Io xc v sed frustra, nam portum cum pluribus celocibus & scaphis ingressus, naves quidem hostiles in anchoris stantes exussit, urbem autem capere non potuit, sed quadraginta aut quinquaginta suorum desideratis, alio discessit. Illustris autem Cumbriæ Comes anno cIo Io xcvi militibus suis in majoris insulæ littus expositis, difficillimo itinere ad agerem progressus, primo impetu castella quæ aditum munient expugnavit; deinde urbem pene vacuam levi discrimine ingressus, arcem quoq[ue] quæ portus fauibus imminet, post octo dierum obsidionem ditione accepit. Statuerat quidem hic pedem figere & coloniam Anglorum deducere, verum quadrungentis militibus brevi tempore variis morbis extinctis, mutato consilio discessit, urbemque pene integrum relinques, opima spolia & machinas bellicas majores ad minimum septuaginta (ut Angli narrant) abduxit.

Anno denique cIo Io cxxv *Baldwinus Henricides* Edamensis exconsul, & classis quam societas Indiæ Occidentalis è Confœderato Belgio sub finem superioris anni suis in Brasilia laborantibus subsidio miserat, Generalis præfensus, cum septem & decem navibus, numero licet militum & classiariorum variis morbis & diurniore atque permolesta navigatione multum imminuto, ausu plane heroico, inter fauium angustias & castelli imminentis fulgura, (quod nullus hactenus cum majoribus navi-giis tentare ausus fuerat) eluctatus, sua tantum navi nonnihil conquassata, & per exiguo reliquarum damno, in interiori portu anchoras jecit & cum ducentis quinquaginta militibus, & quadrungentis navalibus sociis in terram exscendens, statim urbe est potitus, civibus noctu dilapsis, quorum ii qui arma ferre poterant in arcem, reliqui

in majorem insulam se subduxerant: Inde & castellis minoribus captis, ne hostem à tergo expectare cogeretur, aggerem rescidit & arcem principalem ducto vallo, & machinis bellicis dispositis oppugnavit. Verum quum præfidiarii fortiter se tuerentur, & noster cum tam parva militum manu (nam unam è præcipuis navibus cum cxxx militibus & multo apparatu bellico desiderabat) urbi cæterisque munimentis & tot aditibus custodiendis nequaquam sufficeret, seque arci tam validæ vi expugnandæ, multo minus inopia commeatuum ad ditionem cogendæ imparem videbat, (præsertim quum jam subvectiones è majori insula impedire non posset;) deceptu licet multum invitus cogitare cœpit, & machinis omnibus, quæ ipse exposuerat, quæque in urbe invenerat, in naves impositis, spoliis lectis & urbe pene deleta, 10 septem item hostilibus navibus quas in portu deprehenderat exustis, militari ordine se recepit & ventum commodum præstolatus per easdem angustias, unica tantum navi, quæ vado impingens cursum tenere non potuerat, in ipsis portus faucibus, nautarum potius desidia, quam hostium virtute amissa, ovans discessit.

Her. d. 4.  
l. 5. c. 3. Secundum locum obtinet municipium *s. Germani*, olim *nova Salamanca*, in quod ut jam dixi *Guanica* incolæ commigrarunt; distat à littore Occidentali leuc. iv, à Metropoli versus Africum xxx: exiguum oppidum & parum munitum, ideoque aliquoties à Gallis direptum; ad mare stationem tantum habet, eamque incommodam & malefidam, ubi *Guanabao* amnis effluit.

Tertium oppidulum *Arrezo* dicitur, xxx circiter leuc. à Metropoli situm versus 20 Occidentem.

Sunt præterea in hac insula nonnulli pagi & varia prædia (*Estantias Hispani* vocant) & incolæ, prout res Americanæ se habent, satis frequentes, siquidem anno c. l. l. xc referente illius præfecto *Didaco Menesio de Valdes* in hac insula mille quingenti censabantur, qui arma ferre poterant & inter eos octuaginta equites; præter milites quos Rex suis stipendiis alebat, pene ducentos. Alij minorem longe numerum produnt & vix mille quingentas animas in tota insula reperiri autumant.

### C A P . III.

#### *Portus & ora maritima Insulæ S. IOANNIS; & de MONA.*

30

cap. 18.

**P**AUCOS pro sua magnitudine habet portus, rarasque & infidas stationes: quia mare quod septentrionale latus cingit vorticis est, & tota illa plaga aquilonibus exposita; ne tamen quicquam temere prætermisſe videar, oram maritimam à Portu Rico legam & portus stationesque prosequar, ordine quo jacent: ad orientem ergo illius primus portus appellatur *Luisa*, five à fluvio qui ibi exit nomen acceperit, five ipsi dederit: alter *Canoba*; tertius *la Cabeca* ad orientalem angulum qui septentriones adspicit, cui eminentissima juga montium *del Loquillo* imminent. Hinc littus versus austrum flebitur, in ora autem hac quæ orientem adspicit, duo tantum portus occurunt *s. Iacobi* & *Tabuoa* trium circiter leuc. intervallo discreti. Objacent huic orientali Insulæ plagæ variæ insulæ, quas communis nomine *Virgines* appellant, de quibus suo loco postea dicturus sum: capiti porro australi hujus lateris insula exigua *Boque*. Hinc jam ora versus occidentem retrocedit, austro exposita; primo que aperit portum *Guayama*; sequuntur deinde fluvii *Neabon* & *Xavia*; & sex à posteriore hoc leuc. *Guadianilla* portus, eique magis versus Occidentem leuc. amnis quem vulgo *de Mosquites* vocant, & paulo ulterius *Guanica*; & sex ab hoc leuc. Occidentale insulæ promontorium *Cabo Roxo*, australem hanc plagam terminans: juxta quod salinæ aliquot ab Anglis observatae: huic australi plagæ etiam insulæ aliquot obversantur, exiguae admodum, *Santana*, *Haberiana* atque *Bomba del infierno*. A promontorio 50 Roxo ora ab austro ad arctum revertitur & littoribus paulatim recedentibus, sinus in modum incurvatur, & primo portum *de Pinos*, deinde *de Mayaguez* & paulo ulterius sinum *s. Germani* veteris pandit, qui navigantibus peropportunus est ob vicinam vallem optimorum Auranciorum, limonum & similiū feracissimam: sequitur ad eandem plagam *Guanabo* fluminis ostium, quod ab aquandi opportunitate *Aguadam* vulgo nominant; dein & *Guahataca* portus haud longe ab altero Occidentali promontorio,

montorio, quod septentriones respicit. Occidentali huic insulæ lateri objacet *Mona*<sup>Mona.</sup> modica insula ad altitudinem xviii grad. aut paulo minus, & altera hac minor vulgo *Monico*. *Mona* æquali pene intervallo inter insulam hanc S. Ioannis & Hispaniolam interjacet, illi tamen propior; tres leucas aut paulo plures ambitu suo complectitur, plano atque humili solo, & (uti à nostris observatum invenio) salso & maxima sui parte petroso; versus Septentriones tamen non nihil assurgit: non habitatur, licet arboribus frugiferis referta sit & optimos fructus ferat, præsertim aurantia mala mole & bonitate præstantia. Objacethuic plague altera insula vel potius scopulus, *Zaccheo*, <sup>Zaccheo.</sup> pene è regione Guahatacæ, volucrum tantum statio. Ab occidentali promontorio quod arctum respicit, redit ora versus ortum, in qua sunt fluminum aliquot ostia & nominatim *Camay*, *Cibuco*, *Bayamon* atque *Toæ*, quæ duo posteriora in sinum atque portum Metropoleos influunt, à qua hanc oræ maritimæ descriptionem inchoavi.

## H I S P A N I O L A .


## C A P . IV .

*Insulæ Hispaniolæ situs, magnitudo, animalia, fructus, &c.*

20 **I**NSULA olim indigenis atque accolis *Ayti* & *Quisqueia* dicta, quam *Columbus* pri-<sup>Her. d. i.</sup> ma sua expeditione adivit, jacet intra decimum octavum & vigesimum gradum <sup>l. 3. c. 3.</sup> altitudinis septentrionalis; forma est fere triangulari, orientalis quippe illius pars in obtusum angulum fastigiatur, occidentalis autem in duo veluti cornua divaricata sinum amplum in se admittit. xv aut ut alijs placet xviii leuc. declinat ab insula S. Ioannis quam modo descripsimus versus Occidentem, qua brevissimus est trajectus. Amplissima insula & quæ ad cccc leuc. ambitu suo complectitur; centum & quinquaginta ut constans est opinio, longa; ubi angustior xxx, ubi latissima pene LX leuc. (uti ab Hispanis, licet nequaquam verisimile sit, proditur) patens. Aëris temperies hic calidior est & vehemens æstus matutinus, qui statim à meridie ab aura maritima (*virason* peculiari nomine vocant Hispani) sufflaminatur, à quâ & vapores à sole sullevati discutiuntur. Solo gaudet admodum fæcundo, lætissimisq; pascuis, quo fit ut incredibilis hodie hic equorum, taurorum, vaccarumq; porcorum, aliorum animalium sit copia, quæ passim per campestria siluasq; vagantur, incerti dominij; ab iis qui ea venantur & tergorum tantum causa ut plurimum necant, occupantur; carnes sub dio volucribus relinquunt & canibus, qui carnium esu ita efferantur, ut instar luporum jam hominibus terrori esse cæperint, & non leve damnū animalibus inferant; præsertim porcis, qui hic optimi habentur, propter fructuum quibus vescuntur abundantiam & bonitatem. Atque hæc animalia ab Hispanis huc traducta, nam olim Insula paucas tantum quadrupedum species alebat; *Hutias* nimirum, animalculum nostris cuniculis non multum dissimile, sed paulo minus, & brevioribus auriculis, cauda talpe; Dein *Chemi* eiusdem pene formæ, sed paulo majores: & *Mohui* animalculum hutij paulo minus; & *Cori* cuniculis magnitudine par, ore talpam referens, sine cauda, cruribus brevibus & valde delicatis, colore interdum albo, aliquando nigro, sed quam plurimum ex utroq; mixto, domesticum animal & valde cicur: habebant præterea canum quandam speciem satis elegantem, sed plane mutam, quibus in venationibus utebantur. paucissima horum animalium hodie supersunt, quum aliunde inventa tantum incrementum ceperint. Licet non desint angues variique serpentes in hac insula, tamen constans opinio est, nullos aut perpaucos esse venenatos aut noxios. Sed vermiculorum quoddam genus tum hic tum alibi quoque reperitur, hominibus valde infestum, (*Niguanas* vocant) quod in pulvere degens & pulicum instar saliens, ijs qui nudis pedibus incedunt, maxime est molestum, quippe digitis pedum sese insinuans, inter cutem & carnem semina sua jacit, tanta fæcunditate, ut ubi semel se intruserit vix evelli possit & saepe non nisi cauteriis aut artuum detruncatione superetur. Fidem prope superant quæ ab Oviedo atq; alijs narrantur de *Cucuyo* è Scarabeorum genere, cuius ocelli atque latera, ubi alas suas deducit, tantum lumen emittunt ut noctis nebras haud secus quam candelæ illustrent & hominibus legendi scribendique co-

piam faciant; Indigenæ olim hoc animalculo non modo ad tenebras illuminandas sed & ad *Nigas* fugandas utebantur.

Inter pisces edules excellunt *Manati*, qui non tantum in mari sed & in amnibus atque paludibus reperiuntur; pisces est utri similis, duobus duntaxat pedibus ad humeros præditus, rotundis instar elephantinorum, quibus non tantum natat sed & in terra



10

repit; unguibus quatuor; capite taurino aut vitulino (unde nostrates vaccam marinam vocant) parvis oculis, quos claudit atque diducit, cute spissiore & quibusdam pilis fulcis aut subcinereis interstinctis; ab umbelico ad caudam gracilescit, varia mole corporis pro ætate, nam interdum viginti & plures pedes longi reperiuntur: fæmellæ vaccarum more pariunt, binaque habent ubera quibus fætus suos lactant: caro illius magis terrestris animantis quam aquatilis esse videtur, & recens non male refert vitulinam; sale autem condita Thynnorum, nisi quod gratioris sit saporis & diutius servetur; etiam fumo eam indurant aut ad solem exsiccant: pinguedo illius optima est neque rancedini obnoxia, atque ad varios usus etiam mechanicos adhibetur: in capite illius lapilli reperiuntur, qui adversus calculum renum summopere commendantur. Iconem illius è Clusij Exoticis exhibemus.

30

Oviedus occasione hujus *Manati* & alterum pisces describit oræ hujus insulæ perfamiliariem; palmum longum, aspectu fædum; squamas quippe habet graduum instar dispositas, tenuissimis quidem sed validis & acutis spinis præditas, quæ per totum superius corpus sparguntur, præsertim à capite per dorsum ad medium corporis partem, ventre glabro: & quia dorso se aliis pisces affigit dum illos venatur, *Reversum* sive *Inversum* vocant: boni est saporis, & inter optimos qui in hoc mari capiuntur, sicca & firma carne præditus, minimeque viscosâ. Sribit porro Insulanos solitos fuisse hujus generis pisces seponere atque nutritre, eisque ad alios pisces capiendos uti in hunc modum: Inversum tenui sed valido funiculo alligatum è cymba in manatos aut alios pisces opportune emittunt, ille summa celeritate in pisces, quantumvis se 40 longe majores, facit impetum, eorumque ventri aut lateri ita sese affigit, ut una cum ipso sensim in siccum attrahantur. *Vlysses Aldrovandus* lib. III de pisibus, iconem hujus pisces exhibet, sed quæ cum Oviedi descriptione parum conveniat. Meminit & *Rondeletius* lib. xv. cap. xviii & Clusius in Exoticis.

Arborum varias species producit hæc Insula, quarum quasdam commemorabo.

Ovied. 1.8.c.12. *Auzuba*, vasta pulchraque arbor, materie firma atque utili; fructum fert suavissimum, pyris apianis sive muscatellinis parem, verum succo lacteo atque viscidio instar ficus immaturæ, itaque fructus vescentibus ingratiior, nisi prius aqua maceratus, succum hunc exsudarit. Nascuntur item hic uti & in variis Americae insulis & provinciis fructus, quos à quadam pineæ nucis similitudine vulgo *Pinnas* vocant; nam licet 50 squamas non habeant, aut corticem ligneum, tamen exterius cortex earum in eundem modum videtur distinctus: uti autem succi bonitate & suavitate reliquos fructus antecellunt, ita & color illis pulcherrimus est è luteo virescens, viriditate paulatim per maturitatem evanescere: odor quoque jucundissimus, qualis fere in eo malorum Persicorum genere, quod Itali & Hispani Melocotone appellant; magnitudo illi vulgaris melonis, Nascuntur hi fructus singuli ex cardui genere aspero & spinoso,

Idem lib.  
8.c.18.

spinoso, oblongis foliis, è quorum medio prospicit caulis rotundus unicum ferens fructum, qui post decimum aut duodecimum mensem demum maturescit: eo sublato nullum præterea fert fructum, plantaque tanquam inutilis abjicitur. In extremo fructu interdum & extremo caule sub fructu, enascuntur germina quæ fructui decorem addunt, & sunt veluti semen illius, panguntur enim tres subter terram digitos ita ut media pars extet, atque ita & radices agunt & fructus ferunt suo tempore. Tres hujus plantæ species numerant: quarum prior ab incolis *Iaiama*; altera *Boniana*: tertia *Iaiqua* vocatur. Posterior carne est candida, sapore vinoſo verum acidiore: *Boniana* dulci & quodammodo fatuo: *Iaiama* reliquis oblongior carne fulva, sapore suavi & cæteris longe præstans. Per omnium carnes sparsæ sunt quædam fibræ tenuissimæ, quæ licet inter edendum palatum non offendant, gingivas tamen lœdunt si quis crebrius illis vescatur. Maturus fructus tantum quindecim aut ad summum viginti dies durat. Descriptio hujus plantæ quadrat ad amissim cum descriptione Ananas: sed quem in Peruvia pinnam vocant, longe alias est fructus, ut suo loco dicetur. Sunt & aliæ quamplurimæ hic arbores, sed cum cæteris & continenti pene communes, nisi quod quædam hic delicatores quam alibi fructus ferant, uti *Plantani*, quos propterea *Dominicos* vocant. Reperitur & hic *Quauhconex* arbor mediocris, crasso trunco, materie solida ac dura, odorata, quæque diu incorrupta manet; foliis mali granateris; flore minuto albo; fructu simili pene baccae lauri. Corticem hujus arboris minutim concidunt, & quadriduo macerant in aqua, dein exemptum soli exponunt, & ubi incaluerit prælo exprimunt liquorem Balsamo admodum similem & ad varia utilem. Porro *Piperis Americani* vel *Siliquastri* quod hic & alibi *Axi* vocant & in Nova Hispania *Chilli*, plures species hic inveniuntur; quarum una dicitur *Carive* sive *Axi-montense*, cuius siliqua omnium quidem minima est, sed semen calidissimum & pene causticum: altera *Huarahuac* cuius siliqua viridior est; tertia *Axi blanco*: quarta *Açafraan axi*, quia croceum colorem addit condimentis, siliquâ oblongâ: quinta *Axi coral*, ob coloris elegantiam, oblonga itidem siliqua; & similes species; quarum icones videre est apud Cl. V. Carolum Clusium in curis posterioribus. *Yuca* autem (cujus radicibus pro farre utuntur Americani) hic omnium lætissime nascitur; nam *Maizium* non minus quam triticum raris etiamnum hujus insulæ locis colitur, & maxime frigidioribus. Pascua hic quoque à Guaiabis arboribus corrumpuntur. Duæ vero plantæ exoticæ maximum hodie incolis emolumentum adferunt; *Sacchari Cannæ* & *Gingiberis* radices: nisi quod hæ prænimiria copia pene viluerint; nam anno cI 10 LXXXVII supra viginti duo millia quintalium (ponderis genus est apud Hispanos cxxv aut plures nostrates libras æquans) Hispalim advecta testatur *Acosta*: eodemque anno ad nongentas *Sacchari* cistas traduætas, ut hujus quoque proventus inde æstimari possit.

1.4.c.32.

Fodinæ plurimæ in hac Insula, auri quidem celeberrimæ in provincia *Cibao*, his proximæ S. Christophori nomine notæ, aliæ; argenti quoque, æris, ferri; verum fôrum inopia omnes jam dudum neglectæ ita ut æneis nummis incolæ jam utantur.

Multa millia Indigenarum alebat Insula, quum primum Hispani hic adpellerent, statura corporis breviori, colore fusco, comâ capitinis nigrâ, reliquo corpore depili; viri pariter atque foeminæ nudi incedebant aut pudenda leviter velati: sed omnes jam à multis annis, Hispanorum sævitia, inedia variisque morbis penitus consumti sunt. Hispanicæ quoque originis incolæ, pro magnitudine Insulæ pauci; pars magna in Continentem aut alias Insulas majoris lucri spe commigravit; licet hæc æris salubritate, soli fœcunditate, omnium fructuum abundantia & præstantia, cæteris & maximæ parti Continentis longe præcellat.

## C A P . V .

50

*Provinciæ & flumina hujus Insulæ præcipua.*

**H**ISPANIOLA superioribus seculis in plurimas provincias divisa erat, quæ peculiaribus regulis parebant; quarundam nomina jam obsoleta, quædam etiamnum perennant. Ad orientalem angulum, qui S. Ioannis insulam adspicit, *Hyguey* provincia sita est, fere tota montensis, planis in edito jugis, ascensi-

A 4

perdiffi-

Her. d. i. perdifficilis & aspera ob creberrimas rupes quæ planiciem illam occupant, inter quas  
 1.6.c.8. tamen gleba quædam rubra per intervalla se ostentat, Yucæ aliarumque frugum, &  
 præsertim melonum feracissima. *Iacuaguia* huic contermina erat & magis versus bo-  
 ream *Samana* sinum ejusdem nominis admittens; & ad eandem plagam *Ciguay*. Se-  
 cundum australe insulæ latus, latè patet *Taquimo* octuaginta pene millaria ab oppido  
 S. Dominici, ligni Brasiliæ ferax, unde nomen ipsi quondam à Columbo inditum  
 Her. d. 5. Puerto de Brasil. Hanc sequitur *Baoruco* asperrima provincia, & accessu perdifficilis  
 1.2.c.6. præsertim jumentis, ob altissimos & præruptos montes, pabulique inopiam: Indige-  
 narum, qui Insulano quodam duce (Henricum nominaverant Hispani) jugum Hispano-  
 rum excusserant, quondam tutissimus receptus, ita ut non nisi æquissimis condi- 10  
 lib. 3. c. 5. cionibus inde deduci & ad quietem componi potuerint. Ad extremum pene angu-  
 lum occidentalem *Haniguaya* jacet, plana & amœna provincia, præsertim qua Mare  
 attingit. Sinui autem interiori, quem ad hanc plagam insula recipit, inter duo notissi-  
 ma promontoria *Tuberonis* & S. Nicolai, *Xaragua* prætenditur, gossypii feracissima,  
 cui Columbi temporibus Bohecius imperabat. In hac provincia, Lacus ab Oviedo  
 celebratur, duas leucas à mari remotus, haud longe ab oppido Iaguana; xviii leuc.  
 Orientem versus in longitudinem excurrens, tres primum, mox duas leucas latus, &  
 sensim se angustans; falsus instar maris, à quo per occultos terræ meatus oriri creditur,  
 & eosdem cum mari pisces nutriens: haud procul ab illius ripa mons Salis se erigit, op-  
 timi atque pellucidi instar crystalli, quare ab Oviedo summopere commendatur, & 20  
 catalaunico comparatur. Huic provinciæ ad aquilonem contigua est *Guahaba*, ad  
 Occidentem *Cabaya*, cuius indigenas inter omnes insulanos forma atque industria  
 excelluisse ferunt. Hisce proxima erat ad Septentrionale Insulæ latus provincia *Ma-  
 rien*, in quam Columbus primum descendit, & Navidad oppidum condidit, brevis  
 Her. d. i. ævi. Mediterraneanarum provinciarum potissima erat *Cibao*, aurifodinis dives, rupibus  
 1.2.c.10. & montibus aspera, multisque arboribus, præsertim excelsis pinis obsita, multis tor-  
 rentibus & rivulis rigua, aëre denique supra modum salubri. Huic proxima est cam-  
 pestris illa, pascuisque lætissima provincia quæ ipsis *la Vega Real* dicitur, cui Columbi  
 tempore, Guarino ex imperabat, leucas ut plerique tradunt lxx longa, xx & am-  
 plius lata, montibus undiquaque clausa, è quibus limpidissimi torrentes sese in cam- 30  
 pos effundunt. Hanc ad occidentem attingit *Maguana*, pene in meditullio Insulæ  
 sita, inter duo maxima flumina Neybam atque Yaquen: huic præterat Caonabo  
 omnium Insulanorum potentissimus. Inter flumina principem locum sibi vindicat  
 Ovied. *Ozama*, urbem S. Dominici præterfluens, maximarum navium patiens, quæ ostium  
 1.6.c.7. illius subeentes ad ipsam urbem appellunt & ibidem onera sua exponunt: aquæ ta-  
 men illius non nisi supra urbem dulces & potui aptæ, & optimorum piscium fæcun-  
 dæ sunt. Huic proximus loco & dignitate *Neyba*, qui ad australem insulæ plagam in  
 mare sese exonerat, alveo sub exitum satis profundo, sed ubi paulum ascenderis va-  
 doso. Succedit *Nizao* alveo nec admodum lato nec profundo, verum amœnitate  
 foli, quod interluit, & pascuorum, quæ rigat, abundantia nobilis, cannarum denique 40  
 sacchati altura dives. Neque prætereundus est *Nigua* exiguis quidem amnis, sed  
 terrarum ubertate & villarum adjacentium frequentia nulli secundus. Atque horum  
 quidem annum *Nigua* quatuor, *Nizao* novem aut decem, *Neyba* pene triginta leuc.  
 ab urbe S. Dominici versus occasum Oceano se miscent. Versus eandem cœli plagam  
 in eodem Insulæ latere *Taquimo* fluvius in mare evolvitur è *Boaruco* provincia descen-  
 dens. Ad orientem vero ab eadem urbe, in hoc latere *Hayna* effluit, lento quidem  
 decursu, sed aquarum salubritate & prædiorum frequentia cæteris præstans; eique  
 vicinus *Tuna* è Bonao territorio proluens. Ad Occidentale Insulæ latus *Hatibonico*  
 celebratur, optimos pisces nutriens, pascua atque arva fœcundissima rigans, pluresq;  
 minores amnes admittens. In Septentrionali latere sese exonerat *Taqi* sive *Tache* 50  
 haud procul à Monte Christi, insignis fluvius, qui magnum terrarum spacium per-  
 mensus, multos rivos atque torrentes devehit in Oceanum. Atque hi quidem præ-  
 cipui hujus Insulæ fluvii, nam omnes commemorare longum esset: auriferos tantum  
 addo, inter quos primus est *Nicayagua* qui Cibao provinciam intersecat, alios tres mi-  
 nores *Buenicum*, *Coatenucum*, & *Cibum* admittens: Secundus *Xanig*, ejusdem provincie,  
 cui olim arx S. Thomæ erat imposta, dum auri copia suppetebat, culta, nunc penitus  
 deserta.

## C A P. VI.

*Oppida olim Hispanis habitata; Metropolis S. Domingo.*

**C**HRISTOPHORVS COLVMBVS prima sua expeditione ad hanc Insulam delatus in provincia *Marien*, cui tum Guacanagary regulus præerat, è <sup>Her.d.t.</sup> <sup>l.i.c.18.</sup> navis sua, in ipso portu nautarum incuriâ fractæ, tabulis exiguum munimentum struxerat, *Navidad* nomine; & triginta novem suorum sub præfecto Didaco de Arana ibidem relictis in Hispaniam redierat: verum secundâ ad eundem portum <sup>10</sup> reversus, quum suos mortuos, & castellum ab Insulanis exustum reperisset, alibi sedem figere constituit, & orientem versus navigans, aliquot leuc. supra Montem Christi, <sup>Her.d.t.</sup> <sup>l.2.c.10.</sup> urbem *Isabellam* condidit, ad ripam fluminis & non incommode portum, licet ad. versus Cori violentiam haud satis tutum, in fertili solo & cœlo valde salubri, xx circiter leuc. ab aurifera illa provincia *Cibao*, nec procul à campestri illa regione quam supra la Vega Real appellari monuimus. Sed neq; hæc urbs diu duravit incolis illius ad urbem S. Dominici paulo post traductis, sicuti nec complures aliæ urbes, primis illis temporibus tum ab ipso Columbo, tum ab aliis præfectis conditæ. Nicolaus enim <sup>Her.d.r.</sup> <sup>l.6.c.4.</sup> de Obando in Xaragua provincia urbem condidit *Verapaz*, postquam Regulum illius provinciæ & Anacoanam illius Germanam, præcipuamque nobilitatem, exquisitis suppliciis, inaudita crudelitate è medio sustulisset; quod facinus, licet Isabella Hispan. Regina ægerime ferret, Obandus tamen impune tulit. Idem & aliam urbem in Haniaguiaga condidit, *Salvæ terra de la Zabana* nomine, xii circiter leuc. à promontorio Tuberonis. Item tertiam in Maguana, inter duos amnes Neybam & Yaquin, *S. Ioannis de la Maguana* titulo: Quartam porro in Yaquini provincia prope portum de Brasil, quam *Villam novam de Yaquimo* appellavit, & castello munivit: Quintam deniq; Bonao haud procul ab eo loco ubi nunc Cotuy jacet. Quæ omnes intra paucos annos defecerunt, nisi quod templum S. Ioannis de la Maguana adhuc supersit, & ruinæ castelli villæ Novæ de Yaquimo hodieque visantur. Sed de his brevis ævi oppidis plus fatis.

<sup>30</sup> Metropolis hujus Insulæ *San Domingo*, quum anno ccccxciv à Bartholomæo Columbus primum conderetur, novæ Isabellæ nomen tulit, Isabellæ veteris cibibus, ut diximus, eo traductis: ædificata autem erat ad Orientalem Ozamæ ripam, qui insignem illi portum largitur: Verum quum anno cccxi pleraque hujus urbis <sup>d.r.l.s.c.4</sup> ædificia horrenda tempestas & terræmotus subvertissent, Nicolaus de Obando qui tum Insulæ præerat, illam ad oppositam ripam transtulit, consilio, ut quibusdam vi- sum, haud satis provido, nam quum Sol exoriens, vapores noctu è flumine elatos, in oppidum impellat, insalubrior effecta est; & quum fontibus destituatur, aquam potabilem trans flumen petere coguntur oppidani, magno sæpe discrimine, quum flumen vi ventorum aut refluxo æstu intumescit. Urbs alioquin plano loco sita, elegantissimis ædificiis quæ fere è lapidibus sunt structa, ornata, muroque cincta est: nec non latis campis & latis pascuis circumdata, una è melioribus civitatibus totius Novi orbis judicatur. In ea præter Gubernatorem totius Insulæ, Cancellariæ regiæ Auditores, ærarii Præfectori, aliquique regii ministri commorantur. Cathedrale habet Templum (cui præsidet Archiepiscopus, Suffraganeos habens Episcopum *Conceptionis de la Vega* in hac Insula; Episcopum *S. Ioannis de Portu Rico*: Episcopum *Cubæ insulæ*; Episcopum *Venezuelæ* è regione in continente sitæ; atque Abbatem *Iamaicæ*:) monasteria aliquot Dominicanorum, Franciscanorum, & de la Mercede; & duo Nonnarum claustra: Scholam quoque in qua Grammatica docetur, quatuor millium, & Xenodochium vinti millium ducatorum, redditu annuo dotatum: Monetam regiam: Castellum denique ad occidentalem portus angulum pro conditione illarum regionum satis munatum. Superiori seculo valde floruit, commerciorum opportunitate & navium appellentium frequentia, sed postquam Nova Hispania & haud multo post Peruvia Hispanis innotuerunt, sensim splendorem suum amisit, numero civium & commerciis multum imminutis, ita ut fatentibus Hispanis haud supra sexcentas familias Hispaniensium complectatur; longe autem plures Nigritæ tam in ipsa urbe quam suburbii habitant, & mulati (ut vocant) non pauci, denique è Canariis insulis advenæ, <sup>Hispanis</sup>

Hispanis numero pene pares; nec tamen omnium civium numerus duo millia capitum multum superare creditur.

Anno Domini cīcī lxxxvi hæc civitas à fortissimo Equite Anglo Francisco Draco vi capta, & bona illius pars solo æquata fuit in hunc modum: Novem aut decem millaria Anglica ab urbe versus Occidentem, milites circiter mille ducentos exposuerat Dracus, qui uno agmine ab hora octava matutina ad primam post meridiem, in conspectum usque oppidi progressi, equitatum Hispanum hic obvium facile fuderunt; hinc diviso agmine duas urbis portas petierunt, easque majorum tormentorum quidem displosione impetiti, sed levi damno accepto, tanta festinatione irruperunt, ut Hispani se recipere, & ex adversa porta se ejicere cogerentur: Spolia pro fama atque opulentia civitatis minus opima fuerunt, suppellex tantum splendida & vasa aliquot argentea à militibus direpta, parum auri aut argenti cusi reperturn, æneorum nummorum abunde. Angli statim in majori urbis area se communiverunt, cæteris magnæ urbis spaciis custodiendis haud quaquam pares: intercepto mox Castello, Hispanis ad primum impetum dilapsis, totius urbis compotes, mensem integrum illam tenuerunt, & postquam magnam illius partem prostravissent, redemtione pro reliquis domibus accepta, discesserunt. Inter ea quæ ab Anglis hic notata, observatu dignum est Emblema in pariete aulæ Gubernatoris depictum, nobilissimum ambitionis & arrogantiæ Hispænicæ monumentum. Globus quippe Terræ hic depictus erat, è cuius diametro equus subfiliebat, bona parte corporis extra peripheriam projecta, addita hac sententia, *Non sufficit Orbis.*

## C A P. VII.

*Reliqua hujus Insulæ oppida hodieque Hispanis habitata.*

**R**E LIQV A hujus Insulæ oppida haud ita magni sunt momenti, quæ hic ordine commemorabimus. Primo *Salualeon* oppidulum in provincia *Hygney* xxviii circiter leucis ab urbe S. Dominici versus ortum, aliquot machinis ad saccharum molendum in ambitu instructum, & lætis pascuis gaudens, quæ magnam taurorum vaccarumque copiam alunt.

Deinde *Zeybo* oppidulum in australi Insulæ plaga xx circiter leucis ab urbe S. Dominici, ortum atque insulam Saonam versus.

lib. 6.c.8. Tertio *Cotuy* lx pene leuc. (teste Oviedo) à Metropoli versus Aquilonem ad ripam amniculi ejusdem nominis, olim aurifodinis celebre oppidulum & fossorum fere domicilium, qui magnam auri vim hic quondam eruerunt, nunc auri venis & operis deficientibus obscuræ tantum famæ.

Quarto *Azua* ad eandem plagam xxiv mill. à Metropoli versus occidentem, Sacchari proventu dives oppidum, quod nunc vulgo *Compostella* dicitur, & Indorum Nigrarumque pagus illi subjacens *Azua*.

Quinto *Iaguana*, alio quoque nomine *Santa Maria del porto*, oppidum ad occidente talem plagam l. aut lx leucis à Metropoli, una tantum à littore maris, ubi portum satis commodum obtinet ad sinum illum de quo supra diximus; superioribus annis Galli, Belgæque hic mercaturæ gratia appellere solebant, & cassiam solutivam (quæ hic abunde nascitur) tergora, aliaque Europæis mercibus commutare, sed postea editio regio peregrinis omnibus commercio interdictum fuit. Oppidum haud magnum est, tribus plateis & centum quinquaginta ad summum ædibus constans. Ab Anglis duce Christopho Neoportio anno cīcī xcī interceptum & penitus vastatum atque incendio deformatum, an postea reædificatum fuerit, mihi non constat.

1.3.c.10. Sexto *Concepcion de la Vega* ab ipso Christophoro Columbo condita urbs xx (aut xxx secundum Oviedum) à Metropoli leucis versus boream; Cathedrale habet Templum cum suo Episcopo, itemque monasterium fratrum minorum.

Her. d. 2. 1.7.c.10. Septimo oppidum *Sant Iago de los Caballeros* x leuc. à præcedenti oppido recte versus Boream, lato admodum cœlo atque solo, adeo ut inter amoenissima totius Insulæ oppida numeretur.

1.4.c.8. Octavo *Puerto de la Plata* ad septentrionalem insulæ plagam positum oppidum; xl leuc. (aut ut Oviedo placet xlvi) à Metropoli distitum, xx grad. aut paulo amplius ab

ab Æquatore; anno cīcīo iīi auspiciis Nicolai Obandii præfeti conditum. Commodissimum habet portum & castello prope littus munitum; ipsum oppidum lateri altissimi montis adhærens, commerciorum frequentia & situs opportunitate facile secundum locum inter oppida insulæ postulat; quippe à campestri illa regione leuc. Her.d.i. circiter x ab oppido Conceptione xvi à Cibao provincia xii, à Sancto Iacobo xx abesse I.s.c.4. traditur.

Postremo oppidulum quod vocant *Monte Christo*, ad eandem plagam, xiv leuc. à præcedenti oppido versus occidentem, cum portu satis commodo & Salinis: haud longe ab illo fluvius *Taqui* descendit in Mare; hic quoque nostrates, antequam edicto Ovied. regio vetarentur, cum minoribus navigiis solebant appellere & taurina tergora alias 1.6.c.6. que merces commutare. Atque hæc quidem Insulæ hujus oppida omnino decem, pauca certe pro tanta amplitudine Insulæ, quæ olim ita floruit (*inquit Herrera*) ut incolarum Hispanorum numeraret supra xiv millia, magnam partem nobilium; verum Continentis ditionibus provinciis inventis, magna commigratio facta est & non modo hujus, sed & Cubæ, aliarumque insularum incolæ ad summam sunt redacti paucitatem.

## C A P . VIII.

20 *Descriptio oræ maritimæ, sinuum, promontoriorum, portuum  
Insulæ Hispaniolæ.*

**D**E LINEATIONEM oræ maritimæ à Metropoleos portu ordiemur: Decem ergo leucarum intervallo versus occidentem *Nizao* promontorium eminet, à quo ora hæc tenus humilis & fere plana, attolli & in colles atque altiores montes incipit assurgere: pone promontorium sinus se aperit, tribus portubus insignis; *Portu Formoso* (ut Hispani vocant) xvi à Metropoli leucis, juxta quem jacent salinæ copia & bonitate salis præstantes: *ZeZepin*: *Ocoa* denique xviii à Metropoli leucis. In hisce portubus, præsertim *Ocoa*, classis Hispanorum Novam Hispaniam petens anchoras haud raro jacere solet, aquandi & annonam comparandi gratia; nam vix milliare unum à littore municipium situm est, quadraginta aut quinquaginta ædium, omni commeatus genere abundans, & juxta se machinam sacchari habens; quod Angli anno cīcīo xcī duce Christophoro Neoportio diripuerunt, magna vi sacchari inde abducta. Sequitur ad eandem plagam *Azua* portus xxv leuc. à Metropoli versus occidentem. Hinc terræ quidam angulus prominet *la Calongia* vulgo dictus, è regione Insularum *Beatae* & *Altovelio*, atque ora sese subducens versus Corum, amplissimum admittit sinum ita ut angulum istum prætervecti nullas terras ante se conspiciant.

Triginta quatuor hinc leucis versus occasum (aut ut alibi Herrera testatur LXXXI.1.3. à Metropoli, licet ratio haud satis constet) *Taquimo* portus occurrit, ubi quondam oppidum fuit, & Castelli rudera adhuc visuntur; xli porro leuc. magis ad occidente provectos *Zabana* portus excipit, & promontorium *Bacoa* vasto octo pene leucarum collo in altum se projiciens, cui insula Abaque objacet, de qua mox dicam. Sunt & alii quidam sinus & portus, stationesque ab Hispanis notatae, atque à nostris observatae, quas consulto omitto. Australe hoc insulæ latus claudit celebre promontorium *Tuburonis*, sub quo statio navibus satis commoda, *Aligato* Hispanis dicta, Anglis & nostratis nota, quum Hispanicis navibus insidiari volunt. Hæc tenus ora ad occidentem pertinet; xii autem à promontorio *Tuburonis* ut Hispanis, vel potius viii ut nostris placet, versus arctum aliud promontorium occurrit vulgo *de Donna Maria*, à quo littus in orientem retroflectitur *Xaraguam* usque, indeque rurus versus Corum magno ambitu excurrit ad promontorium *S. Nicolai* magnum illum sinum admittens, in quo minores aliquot insulæ sparguntur, & quidem haud procul à littore quod ingredientibus dextrum est, *Caymito* (nam minutiores prætereo) distans à promontorio Mariæ xii aut xiii leuc. à quo ad occidentalem angulum *Guanabo* insulæ oblongioris & partim editæ, quæ in interiorem sinum procurrit, viii aut ix sunt leucæ; & ab hoc angulo pene totidem ad promontorium *S. Nicolai*: id

id alterum hujus Insulæ promontorium versus occidentem, distans ab æquatore grad. xix & scrupul. xl aut l. declive est versus mare, & finum intra se concludit, qui tutissimam & commodissimam stationem navibus præbet, & insignem aquandi opportunitatem. Haud longius xii leuc. intervallo ab orientali Cubæ promonto-rio abesse constanter affirmant nostri, licet Hispani octodecim prodant. Ab hoc porro littus quod septentriones adspicit versus ortum legentibus, portus *Valparayso* occurrit, insulæ *Tortuga* occidentali cornui oppositus; hic fluvius exit aquationi valde idoneus. xxii dein millaria ad orientem profectis (ut à nostris observatum) obvia fit *Manzanilla*, amplissimus sinus & longo latoque ambitu intra terras se recipiens, & ob aliquot amnium exitum aquationi peropportunus; Columbus ex dignitate loci 10 *Portum Regalem* appellaverat, quod nomen adhuc circa sinus initium obtinet: angulum illius sinistrum *Mons Christi* claudit, humili littore veluti aggere Continenti connexus, ita ut è longinquo intuentibus insula videatur. xii ab hoc versus ortum leuc. olim urbs *Isabella* stetit, nunc suo nomine modicum portum signans; & totidem vel quod magis verisimile ix ab hoc, *Porto de Plata*. Haec tenus littus recta orientem petit, hinc jam versus Eurum sensim se incurvat, & inter duo promontoria *el Frances* & *del Cabron* sinus admittit, qui initio sui latior, mox angustior in acutum angulum desinit, septentrionibus è directo expositus, ideoque intutior; nisi quod ad orientalem plagam minorem sinus pandat (*Scotorum vulgo*) ab aquilonibus fatis defensum. Supra promontorium *del Cabron* longe amplior sinus patet, sed minus profundus, à provincia quam alluit *Golfo de Samana* nunc, Columbo olim *de las Flechas* vocatus, quia Hispani hic primum hostilia ab Indigenis passi, si non ipsi fecerunt. Sequitur eodem tractu promontorium *del Enganno* orientale hujus Insulæ caput, à quo ora leniter versus Africum recedit ad angulum provinciæ Higuey, & deinceps recto ductu ad occidentem tendens, aliquot modicis promontoriis & sinibus intersecta ad portum S. Dominici revertitur.

Saona.

Hispaniola præterea aliquot minoribus insulis cincta est, quarum orientalior *Saona* distans ab æquatore xvii grad. & xl scrupul. freto haud supra duas leucas lato & paulo plures longo à majori insula dirimitur; urbis S. Dominici olim quasi horreum ob abundantiam Cazabi, quo farris loco utuntur insulares: verum indigenis omnibus 30 deletis anno c. 10 11 ab Hispanis, postilla penitus deserta jacuit: cæterum solo est humili & densis sylvis obsito, ita ut è mari prospicientibus arbores prius quam terra conspiciantur: mare tamen satis altum nullisque brevibus aut rupibus contaminatum, stationem satis tutam, & ipsa insula ob pabuli copiam & fructuum bonitatem

S. Catalina.

multorum animalium altrix, navigantibus large commeatum subministrat. Huic haud longo intervallo proxima est *Insula S. Catalina*, arboribus nuda, parva atque humilis, multisque cautibus aspera, tamque angusto freto à majori insula divisa, ut non nisi à propè accendentibus percipiatur. Atque hæ quidem ad orientem à portu S. Dominici: ad occidentem primo obvia est *Beata* xxxv leuc. à dicto portu, duas à majori insula separata, ad altitudinem graduum xvii & paulo amplius, humili solo & 40 denso luco opaca, quem optimum lignum Guajacan gignere testatur Oviedus.

Altrove-  
lo.

Huic ad austrum alia minor obtenditur, *Alto Velo vulgo*, orbicularis fere & parte sua orientali paulum assurgens, cætera depressior, nigro solo. Nec procul inde tres non tam insulæ quam scopuli *los Frailes vulgo*, navigantibus cavendi. Adeandem insulæ plagam *Abaque* aut *Baque* jacet (nostri vulgo insulam vaccarum vocant) xlvi leuc. à Beata, parva, humiliisque, sed arboribus plena, nec animalium inops, ideoque navigantibus gratior. Sita est ad altitudinem octodecim graduum & quadraginta quinque scrupulorum, ut à nostris accurate fuit observatum; unum milliare longa inter

Navaza.

ortum & occasum, & tertiam partem milliar. lata. *Navaza* denique perparva insula & rupibus aspera, humili tantum fruticeto virescens; x pene leuc. ultra extreum hujus 50 insulæ cornu vergit in occidentem, xviii grad. ab æquatore versus arctum: Inter novi orbis mirabilia recensetur fons, qui media ab hac leuca in ipso pelago xvi ad minimum pedes alto, tam valide scaturit, ut latices illius dulces è mediis fluitibus hauriantur. Septentrionali plagæ prætenditur *Tortuga*, modico freto à majori insula direpta, oblonga situ & media sui parte gibbosa: plurimi in hac insula porci reperiuntur, unde & apud nostros nomen invenit, qui vulgo *Insulam porcorum* vocant.

Tortuga.

CVBA.

*Cuba Insula situs, cœli solique qualitates, Arbores, Animalia.*


**C**VBA Hispiolæ ad occidentem proxima, ab Hispanis quidem primum Iu-  
na in Reginæ gratiam, dein & Fernandina fuit dicta, hodie tantum Cuba au-  
dit, cœteris nominibus oblitteratis. Ad septentriones primum aliquot insulas  
objectas habet, & intutum vadis atque brevibus mare, deinde Floridæ continentem,  
ad occasum satis lato freto à Nova Hispania dividitur: ad austrum 1. circiter leuc. in-  
tervallo ab Americæ continente, qua Yucatana peninsula procurrit, alibi autem  
plurium: ab Insula Iamaica haud pluribus quam viginti leucis distat: ab Hispiola,  
ut supra diximus, multo paucioribus. Patet in longitudinem à promontorio *Mayzi*  
quod illius extimum ad ortum, ad *S. Antonii* extremum ad occasum, leucas, ut vo-  
lunt, ducentas & triginta; in latitudinem autem vix quadraginta ubi latissima est,  
ubi angustior, tantum quindecim: nam ab orientali illius angulo secundum latus  
quidem australe ad promontorium *Sante Crucis*, secundum septentrionale vero ad  
Cubanam sensim se se dilatat, dein sinu admisso rursus coarctatur & deinceps æquali  
pene latitudine ad extimum angulum procurrit. Soli ubertate cum Hispiola  
20 contendit, cœli temperie longe superat. Terra magnam partem in vastos montes  
attollitur præsertim in parte orientali; in occidentali continuis jugis velut in duas  
partes secatur, à quibus utrumque multi torrentes, variisque amnes defluunt, & in  
utrumque mare descendunt, optimis piscibus fœti, inter quos capitones (Hispan.  
*Lizas*) & aloſæ (Hisp. *Sabalos*) nominatim ab authoribus celebrantur. Densæ ubique  
sylvæ variarum arborum, quæ iter agentes à solis radiis egregiè defendunt, inter  
quas cedri proceritate & crassitie eminent, indigenis olim maximo usui ad Canoas  
(intres uniligneos ita vocant Americani) fabricandas; quippe ingentes truncos,  
ardentibus prunis primum inustos, lapidum aut testarum attritu excavabant, atque  
ita deducebant ut quinquaginta & plures homines caperent; quales non paucas ab  
30 Hispanis hic repertas memorant. Deinde arbores quæ resinam quandam odoriferam  
& Styracis æmulam fundunt. *Xague* deniq; quæ (ut Herr. scribit) fructus ferunt renis dec. i. 1. 9.  
vitulini forma atque mole, qui licet immaturi ab arboribus avellantur, tamen in c. 4.  
aqua tribus quatuorve diebus macerati, præ abundantia succi sponte dehiscunt,  
grati & melliti saporis, neque insalubres. Verum hic observandum, *Xaguam* arbo-  
rem & illius fructum longe aliter describi ab Oviedo; *Xague* quippe tribuit mate- lib. viii.  
riem duram & proceritatem fraxini, fructum autem similem capitello papaveris, c. v.  
nisi quod non sit coronatus; cuius succus recenter expressus candidus & gratissimi  
saporis, verum cuti illitus sensim nigescit, adeo ut notæ vix post vigesimum diem  
evanescant, nam nullo modo ablui possunt. Descriptio hæc plane convenit cum Xa-  
40 huali descriptione, de qua arbore alibi dicetur. Vitium sylvestrium ingens hic copia,  
quæ acidæ uvas ferunt utpote inculæ.

Reperitur & in montanis hujus Insulæ *Caninga*, grandis arbor & vasto trunco,  
cujus folia sunt similia foliis arboris *Canellæ*, sed majora & crassiora; truncus juxta  
radicem nigricat: detrahitur cortex instar *Canellæ*, sed crassior illa, licet ad eadem  
valens; quippe calidus est & siccus pene in quarto gradu, sapore acri & caryophyllis  
non absimili, verum qui cito evanescat; dat cibis optimum gustum, & mundat san-  
guinem haud secus quam cassia solutiva, estque præclarum alexipharmacum. Cor-  
tex illius siccior est etiam trunco adhærens, non autem glutinosus uti *Canellæ*.

Avium infinita pene multitudo, psittacorum, palumbium, turturum & perdi-  
50 cum (licet minorum quam sunt Hispaniæ) quæ in aliis Americæ insulis haud facile  
inveniuntur. Peculiaris huic insulæ avis est, quam Hispani *Flamenco* vocant, grui  
forma non absimilis, junioribus plumæ candidæ, ubi adoleverint, elegantissimorum  
colorum mira varietate distinctæ, haud alte subvolant, gregatim degunt & juxta  
littora, atque in ipsis marinis fluctibus viatum quærunt, salis undis ita assuetæ, ut  
quum ab Indis domi aluntur (nam & cicurantur) sal potui ipsarum necessario admi-  
sceatur. Est & aliud genus avium hic valde frequens, *Bambayæ* vocant, quæ paulum

supra solum feruntur magis quam volant, ita ut incolæ instar ferarum illas venentur; carnes illarum coctæ jus croceo colore inficiunt, saporis alioquin pergrati & phasianarum avium æmuli. Quadrupedum, puta taurorum, vaccarum, porcorumque non minor hic quam in Hispaniola copia, propter pabuli copiam & insignem suavitatem; idemque omnino usus: nam tauros atque vaccas tergorum causa necant, ex quibus ingens incolis quæstus: nec minor è sagina porcorum, quorum carnes in oblongas lacinias dissectas, ad solem indurant atque exsiccant, quibus naves Hispanicæ è continente Americæ redeentes in Hispaniam pro cōmeatu potissimum utuntur.

Mare quod hanc insulam ambit, valde piscosum, nam præter *Aguias*, *Maxauras* (Hispanica sunt nomina) aliasque quamplures, Europæis littoribus notos, plurimi ibidem capiuntur, nostro mari penitus ignoti. Ad australe autem insulæ latus, ubi exiguae insulæ magno numero objacent (*Jardin de la Reyna* vocant Hispani) ingens numerus marinorum testudinum reperitur; quæ non raro in tantam molem excrescunt, ut quinque viros testa sua sustineant, & cum eisdem prorepant.



20

Nec minor *Iguanarum* in insula copia est, de quibus nihil necesse esset hic potissimum dicere, quia in plerisque partibus Americæ reperiuntur, nisi semel de ipsis dicendum foret; iconem itaque hic exprimendam curavimus. Amphibium est animal, lacerti forma, cute partim cinerei, partim fusci coloris, quæ squamulis quibusdam tecta est, circa caput quidem majoribus, in tergo autem & sub ventre minoribus: cauda oblonga, quam similes squamulæ, quibusdam ordinibus, ab initio ad finem ambiunt, ita ut quartus quisque ordo è majoribus constet, eleganti varietate: à cervice ad extremam pene caudam per dorsi medium, spinæ quædam mucronatæ, instar serræ, descendunt: rihtus satis amplius, in utraque mandibula plures dentes, breves & peracuti, oculi grandes & depressiores; binas habet nares in extrema pene superioris rostri parte; pone caput foramina duo, piscium branchias referentia; sub cervice ingluviem ad pectus usque pendulam; crura quatuor, quorum duo anteriora minus crassa, brevioraque quam posteriora, singula autem quinque digitis distincta, quorum quidam binis, alii ternis, alii quinis articulationibus constant, omnes nigritantibus & acutissimis unguibus armati: taciturnum est animal & inediae patientissimum; ova parit quadraginta aut quinquaginta rotunda, testa admodum tenui & fragili, nucum magnitudine, albumen & vitellum continentia; non minus grati saporis, quam caro animalis; utrisque enim tam barbari quam Hispani vescuntur & in primis laudant: in terra juxta flumina & lacus ova sua excludunt. Hujus animalis omnes rerum Americanarum scriptores meminerunt; Oviedus autem observat, carnes hujus animalis noxias esse illis, qui aliquando lue venerea laborarunt, recrudescere enim malum, licet dudum sanati fuerint. Franciscus Ximenes scribit, in capite hujus animantis interdum reperiri lapillos, qui præsentissimo remedio lapides rerum comminuunt & dejiciunt, drachmæ pondere è liquore idoneo hausti, aut etiam corpori alligati.

*Her. d. I.* Dives censetur hæc insula metallis, plures enim amnes auriferi sunt, quorum ii 1.10. c.18. qui Xaguæ portum influunt, auri perfectissimi granula subministrant. Æris autem fodinæ per celebres haud longe ab oppido S. Jacobi, hodieque operas fatigant. Felicissima denique insula, nisi rarioribus incolis habitaretur; indigenas enim omnes jam dudum Hispanorum crudelitas delevit; Hispanos autem complures auri argenteique sitis aliò traduxit.

G A P.

## C A P . X .

*Provinciæ hujus Insulæ atque præcipui amnes.*

**I**N varias provincias hæc Insula olim divisa erat, quæ suis quæque Regulis quum primum Hispani hic appellerent, parebant: Hispaniolæ proxima & ad orientalius hujus cornu pertingens *Mayzì* dicebatur, à qua promontorio nomen hæsit, montana regio & densis sylvis, lucisque obsita: Huic *Didaci Velasquii* temporibus, qui primus Hispanorum hanc insulam subjugare aggressus est, *Hatuey* regulus prærerat ex Hispaniola profugus, ideoque sævitiae Hispanicæ gnarus, quam tamen effugere non potuit, à Velasquio vivus concrematus: memorabile est quod de ipso tradit Herrera: Hispanorum adventum propediem metuens, suos ad concionem dec. I. 1. 9. vocatos monuit, Hispanorum Deum esse aurum atque argentum, itaque quantocius c. 3. illa ab se abjicerent atque submergerent, nam si se aliter celaturos existimarent frustra futuros, Hispanos enim vel è visceribus ipsorum hunc suum Deum extracturos. *Mayzì* ad occidentem contermina erat *Bayamo* (urbs adhuc hodie nomen provinciæ servat) planior regio & per amœna, uberrimo solo & cœlo perquam salubri. Ad australe dein Insulæ plagam *Cueyba* provincia sita erat xxx circiter leuc. à Bayamo. Huic vicina xx, nec amplius, leuc. intervallo *Camagueya*, amplissima regio & indigenarum multitudine ante Hispanorum adventum celebris: molarium lapidum copiam hic reperiri tradunt. *Macacan* è regione Iamaicæ collocant. Quam ad eandem plagam sequitur *Xagua*, à qua sinui & celeberrimo portui nomen. Denique ad occidentale cornu, quod indigenæ Haniguanica appellabant, *Vhima* vastis montibus aspera.

Inter flumina hujus Insulæ primum locum meretur *Cante*, qui è montibus, quos hanc dividere diximus, effluens, & per planiciem, amœnissimasque utrumque ripas & uberrimum solum progrediens, ad australe Insulæ latus, per latum sinum in oceanum properat: tanta crocodilorum copia in hoc nascitur (animal aliis fere insulis ignotum & cæteris quoque hujus Insulæ amnibus) ut periculosum sit juxta ripas illius sub diò somnum capere; non raro enim incautos opprimunt, & è terra abreptos & in undis suffocatos devorant. Huic proximus ad eandem plagam *Tanne*, olim minoribus naviis à nostris commerciorum causa adiri suetus. Inde & plures alii minores. Justæ autem magnitudinis amnis & egregie piscosus Camaguey provinciam secat, cuius nomen non proditur. *Arimao* denique haud longe à portu *Xagua* in mare exit, alveo quidem satis lato, sed minus alto. Atque hi quidem præcipui amnes ad australe partem. Ad septentrionalem autem, atque adeo in ipso littoris ab occidentali promontorio ad aquilonem flexu, amniculus egreditur Hispanis *Rio de Porcos*, ob brevia atque objectas rupes aditu difficilior: sequitur dein ad eandem plagam *Marien* amnis, à quo & portui nomen: interque Habanam & portum de Matanzas *Rio escondido*: In ipsum portum de Matancas aliquot amnes descendunt, quorum nomina non produntur, pluresque in oceanum septentrionalem exitum inveniunt, verum propter importuosum hoc tractu littus penitus ignoti, præter paucissimos, inter quos præcipius *Mares*, qui haud longe à Baracoæ portu se evolvit. Si qui præter hos in hac insula amnes, ii à nobis vel cum urbibus quas lambunt, vel cum finibus in quos labuntur, describentur.

Indigenæ hujus Insulæ, habitu corporis, moribus atque institutis, à cæteris Insularibus nihil differebant, & è Floridæ continenti huc commigrasse creduntur: nulla ipsis erant templa, nulla sacrificia, nulla denique religio; levius tantum (ut Hispani produnt) creationis mundi atque diluvii apud ipsos recordatio manserat: Arioli ipsis erant sacerdotum loco (*Bebiques* vocabant) medicæ pariter atque magicæ artis gnari; qui miseras hasce gentes infatuabant, & cum dæmonibus familiariter, ut credi volebant, loquuti, de variis rebus dabant responsa: sed plura non addam, quum omnes hi populi jam dudum sævitia Hispanorum defecerint.

*Oppida quæ hodie ab Hispanis in hac Insula habitantur.*

**O**PPIDA pro magnitudine Insulæ rara: Primum locum antiquitatis & dignitatis nomine sibi vendicat urbs *S. Iacobi*, à Didaco Velasquio anno c<sup>1</sup>o I<sup>o</sup> xiv condita ad australem Insulæ plagam, viginti circiter gradibus ab æquatore versus arctum, è regione Hispaniolæ, duabus pene leucis à Mari ad intimum gremium portus, inter maximos & tutissimos Novi Orbis facile primi, angusto quippe ore admissum mare patentissimo sinu excipit, instar freti, & inter minores aliquot insulas 10 dispargit, stationem navibus præbens adeo securam, ut anchoras figere nihil sit necesse; Floruit quondam urbs magno incolarum numero, qui jam ad summam paucitatem redactus dicitur: Templum habet Cathedrale, & Episcopum, Sancti Domini Archiepiscopo suffraganeum; monasteriumque fratrum minorum regitur à Vicario Gubernatoris Insulæ. Merces quæ hinc peti solent, sunt bubula tergora atque Saccharum. Tribus autem ab urbe leuc. ditissima æris metalla è præaltis montibus hodieque eruuntur, quos Hispani ob hanc causam *Sierras de Cobre* appellant.

Huic ad orientem proximum est, xxx circiter leuc. intervallo, oppidum *Baracoa* ab eodem Velasquio extructum, ad septentrionale Insulæ latus, x aut ad summum xii leuc. ab orientaliore Insulæ angulo versus occidentem: haud procul ab oppido flu- 20 men *Mares* decurrit, in ipso ostio vi aut viii orgyas altum, interius v. ripæ illius orientali duo montes imminent, occidentale claudit promontorium quoddam plano vertice, quod brevi spacio in altum projectum, sinum facit, is oppidi hujus est portus, sed non nisi minorum navium capax, & Trasciæ Coroque expositus, ideoque incommodus: Sylvæ huic oppido vicinæ laudatissimum Ebenum ferunt, & ut nostri produnt etiam Brasiliū lignum.

Tertia urbs *San Salvador*, aut à provinciæ nomine *Bajamo*, ab eodem Velasquio stru- 1.17.c. 2. ñta, xxx leuc. (ut Oviedus testatur) ab urbe S. Iacobi versus Corum; salubritate aëris, soli ubertate, & planicie agri per amœna, cæteris hujus Insulæ urbibus longe antestans: mediterranea quidem est, sed merces ipsi à mari adverso fluvio *Cante* subvehuntur. 30 Inter mirabilia Insulæ celebrantur silices, variae quidem molis, sed omnes egregiæ rotunditatis, ita ut globorum usum supplere possint; hos juxta fluvium huic oppido cognominem tanta multitudine reperiri tradunt, ut ibi lapides pluuisse haud immerito videri possit: Oviedus in irrigua valle reperiri scribit, medio fere itinere inter hanc urbem, & S. Iacobum.

Quartum locum sibi vendicat *Porto del Principe*, oppidum cum suo portu, (qui à navigantibus laudatur,) ad septentrionale Insulæ latus, xl leuc. à S. Jacobo versus Trasciam. Haud procul hinc fontes illi bituminis visuntur, de quibus *Monardes* cap. v. In Cuba (inquit) inveniuntur fontes juxta littus maris, bitumen nigrum picis instar emitentes, gravis odoris, quo Indi in morbis frigidis utuntur; Hispanis servit picandis na- 40 vibus, (quia pici navalí similis est,) sed sebo admisto, ut melius induci possit. Veterum Naphtam esse puto, cuius duos fontes Babylone reperiri Posidonius refert, albæ & nigræ. Nos hoc bitumine utimur in uteri morbis, quod eum suffocatione liberet, natibus admotum aut vulvæ inditum. Calidum est in secundo gradu, & humidum in primo. Oviedus item illius meminit lib. xvii cap. viii. & licet non neget interdum fluere, tamen ut plurimum per frusta effodi tradit.

In australi porro Insulæ latere, *Sancti Spiritus* xl aut l. domorum vicus verius quam oppidum, l. & amplius leucis ab urbe S. Jacobi versus occidentem, aliquot leuc. à litore, in agro fæcundissimo & amœno, ad ripam amnis haud admodum lati, quem *Sas* aut *Sasse* ab incolis vocari audio, non nisi minoribus navigiis navigabilem: qui à S. Ja- 50 cobo, Bayamo & portu Principis, Habanam petunt, hic transire consueverunt.

Ad eandem plagam, olim *Trinitatis* oppidum floruit, ab eodem Velasquio conditum, ix aut x leuc. à portu *Xagua* versus ortum, Indorum pagis tum toto illo tractu frequentissimis; sed propter portus incommoda & crebra naufragia, locus pene desertus est, & hodie solo portus nomine notus.

## C A P . X I I .

H A B A N A principale hujus Insulæ oppidum & Portus.

**S**upereft ut de *Habana* dicamus, quod oppidum situm est ad septentrionalem Insulæ plagam ex adverso Floridæ, xxiiii (ut peritissimi naucleri tradunt) aut circiter gradibus ab Äquatore versus septemtriones. Portus maxime memorabilis, natura pariter atque industria ita factus atq; munitus, ut insuperabilis à multis judicetur. Quippe angustissimis faucibus, sed satis alto alveo, nec ita brevi, oceanum admittens, intus se in amplissimum sinum diducit, lateribus utrimque sensim recendentibus & cubito rursus coëuntibus, mille & plurium navium capax, & adversus incerta ventorum subitasque procellas, à montibus qui ambiunt ita defensus, ut sine funium aut anchorarum subsidio, tanquam in gremio tutissime conquiescant. Faucibus autem bina promontoria utrimq; incumbunt, totidem validissimis castellis ita munita, ut quantævis grandi classi facile aditum impedian. magna in iis ænearum machinarum bellicarum vis, & præsidium militare satis validum; in Orientali autem latere infra castellum turris eminet, in qua perpetuo excubitores agunt, qui naves ex alto advenientes facile dignoscunt, & notis indicis, numerum illarum præsidiariis atque oppidanis veluti è specula annunciant. Ipsum quoque oppidum firmissimo castello defenditur, nullis præterea mœnibus cinctum. Tertium autem hoc castellum longe maximum est, & navibus ingredientibus per angustas fauces è directo ita oppositum, ut proram (quem admodum bina illa ipsarum latera) valide concutere possit. Omnes Hispanorum classes, quæ è continenti Americæ australis, Nova Hispaniæ, atque insulis, variis mercibus & opulenta auri argenteique gaza onustæ revertuntur, huc se solent recipere, & aquandi, commeatusque necessarios comparandi gratia tantisper hic subsistere, donec omnes aut saltem pleræque convenerint; dein mense Septembri (neque facile tardius) aut conjunctæ aut in duas classes divisæ, per *Bahama* fretum in oceanum septentrionalem penetrant & Hispaniam petunt. Vrbem præter præsidarios (quorum numerus incertus est, licet Rex mille militibus ut plurimum stipendia submitat) circiter trecentæ familie Hispanorum incolunt, multique Lusitani, & in gens servitorum numerus. Gubernator totius Insulæ, cæteriq; regii ministri hic perpetuo fere agunt. Quid multa? non modo cæteris hujus insulæ, sed & omnibus pene Americæ oppidis, tum portus amplitudine & securitate, tum divitiis & commerciorum frequentia facile antecellit. Vicinæ silvæ magnam optimorum lignorum copiam subministrant, quibus ad naves fabricandas utuntur, utili compendio, nisi cætera quæ ad naves armandas requiruntur, fere omnia aliunde petenda essent, atque adeo ex ipsa Europa. Metalla denique æris haud procul ab hoc oppido tentata, sed frustra; aut fallente evena, aut operarum inscitia, aut denique impensa fructum longe excedente.

## C A P . X I I I .

40 Portus & ora maritima Insulæ Cubaæ qua Austrum adspicit.

**O**RAM maris ab australi latere & portu S. Iacobi ordiemur, & quidem qua vergit in occidentem recto ductu ad promontorium S. Crucis. Ad hanc plagam aliquot stationes sunt, & portus minime prætereundi, quorum primus *Guama* *Sevilla* nautis appellatur, ad radices montium quos supra *Sierras de Cobre* appellari diximus; huc olim nostrates se recipere solebant, antequam Hispani severo admodum edito cum nostris aut aliis peregrinis negotiari vetarentur; hic piscatores S. Iacobi testudines captas subducere, exenterare, & ad solem fissicare consueverunt; denique aptissimus est locus piraticæ stationi. Sequitur ad eandem plagam *porto Portillo* sinus haud magnus, inque ipsis faucibus atque gremio tres ad minimum orgyas altus: & haud longè ab hoc mons præalto vertice, conspicendus, vulgo *el gran Tarquino*, à quo ad promont. S. Crucis xxx, & alter mons paulo submissior, præ ceteris tamen à lôginquo conspicuus (*minor Tarquino*) à quo ad idem promont. xxi leuc. numerantur: utrumq; montem interjacet portus S. *Spiritus* xx leuc. à portu S. Iacobi versus *Favonium*, ut Herr. numerat.

Ipsum promont. æquali & gracili collo productum in altum, humilique luco virens facillime dignoscitur; ab illo brevia quædam descendunt in mare, navigantibus cautevitanda: quem grad. latitudinis attingat, inter authores controvertitur, alii ad gr. xix.

& triginta aut ad summum  $\text{xl}$  scrupul. alii ad vigesimum gradum referunt, inter quos est Herrera & nautica aliquot itineraria, quod in tabula nostra secuti sumus. Superato hoc promontorio, ora se versus boream subducens ingentem facit sinum, variis quidem portibus & stationibus opportunum navigantibus; & frequentibus commerciis olim à nostratibus usitatum, sed ob crebra vadorum brevia, & innumerabiles pene scopulos & non paucas insulas, infidum: Insulas has vocant *Caios* cum singulis agnominibus, quæ hic enumerare longum foret. Porro hic littorum versus boream flexus, præter ignobiles aliquot portus, stationes, recessus & minora promontoria; ad ipsum oræ sese rursus versus occasum sinuantis cubitum, stationem habet celebrem, quam *Mançanillam* vocant, ubi naves objectu minoris insulæ ab austro  $10$  tutæ in anchoris consistunt.

Ad annum  $\text{cl} \text{ i} \text{ c} \text{ vi}$  commercia satis tuto à nostris hic exercita fuerant, tum tandem armata manu & non levi damno inde pulsæ sunt, egregio tamen prius virtutis Belgicæ specimine edito; nec Hispanis incruenta victoria fuit, quippe nostratum prætoriæ, quam *Abrahamus de Verne* ducebat, cum Hispanorum subprætoria tam acre & pertinax certamen fuit, donec ambæ pulveris tormentarii vi rumperentur atque dehiscerent. Plures in eodem sinus Baiamensis gremio stationes sunt, & inter alias *Iqueteo*, tenuis amnis & minorum tantum navigatorum capax, bubulorum tergorum commercio dives: & *Boye* in exiguo maris recessu; non procul inde Cauto fluvius exit, aliisque minores amnes.  $20$

Hinc jam ora rectâ in occidentem tendit, cui ingens insularum numerus prætentitur, & mare ipsum est vadosum, multis canalibus & alveis veluti fibris intercissum, *Jardin de la Reyna* vocant Hispani, ad altitudinem graduum unius & viginti: Ad portum Trinitatis hæ insulæ & scopuli pertingunt. Decem aut paulo plures leucas versus occidentem profectis *Xagua* occurrit, mirabilis, ut ajunt, portus, angustis etenim fauibus, amplissimus intro sinus, mare admittit, ad decem fere leucas in longitudinem patens, latitudo minor est, altis montium jugis undiquaque vallatus, ideoque adversus incerta ventorum egredie à natura munitus, tutissimam navibus stationem præbet, neque anchoras figere necesse est, funibus alligantur. Eset plane singularis hic portus, nisi magno periculo adiretur. Hunc portum prætervectis duæ insulæ  $30$  parvæ obviæ fiunt, quas duas *Germanas* vocant, ad caput infidi, ob vadorum, insularum, cautiumque multitudinem freti, quod *Camarco* vulgo dicitur, & ab *Insula de Pinos* concluditur ad austrum: promontorium autem occidentale ejusdem Insulæ alium sinum aperit, ora se leviter inflectente, & juxta promontorium *de Corrientes* rursus emergente: promontorium porro hoc *de Corrientes* modice elevatur, albis arenis & viridi luco conspicuum, ad altitudinem unius & viginti graduum &  $\text{xl}$  scrupul. Hinc ad celeberrimum S. Antonii promontorium  $\text{xii}$  leuc. iter est, littore versus  $40$  Corum inclinante.

## C A P. XIV.

*Ora maritima & Portus Insulae Cubæ, qua Septentriones respicit.*

**P**RIMONTORIUM S. Antonii hujus Insulæ extimum versus occasum ab omnibus qui hoc mare navigant, quam maxime observatur. Nam & ii qui Novam Hispaniam petunt, quique ab ea revertuntur, illud adire & secundum illud rationem cursuum suorum instituere consueverunt; Idem è continentí Australis Americæ redeuntes requirunt; denique omnes qui *Habana* portum petunt, illud è propinquo salutant. Est autem humile cornu & mari pene æquale, nec nisi densa arbustorum sylvula conspicuum; pone illud statio satis commoda, supra aquæ potabilis stagnum jacet, aquationi, ubi necessitas urget, peridoneum. Ab hoc promontorio littus se  $50$  primo leniter versus Boream subducit, importuosum & propter objecta vada & rupestres, quas à similitudine *los Organos* nautæ vocant, navigantibus caute vitandum, velificatione paulo magis versus Corum instituta. Post illa littus versus orientem longo ductu porrigitur, multis promontoriis & sinubus incisum, quorum aliquot tuos portus aut stationes subministrant; inter quos alicujus nominis, quem vocant *de Cabanas*, novem milliar. ab Habana versus occidentem, tres ad minimum in recessu orgyas

orgyas altus; & de Mariem sex milliar. ab Habana versus occident. cuius index mons supra verticem æqualis & mensæ in modum stratus, unde & illi nomen: aliquae ad occasum Habanae portus, de quo supra diximus.

Triginta autem vel ut rectius à nostratis observatum, sedecim aut ad summum viginti ab Habana leuc. versus ortum, alias spatiotis portus occurrit, quem de Matanzas, id est, cædibus vulgo agnominant, ob causam quæ me adhuc latet, cum Habanae portu neutquam comparandus, sed tamen cæteris melioribus hujus Insulæ portibus non inferior, sinu satis profundo, & qui mare patulo ore admittit, amnem unum atque alterum in se recipiens; ideoque ob aquationis opportunitatem & com-  
meatuum abundantiam crebro aditur. Mons præaltus & panis in modum fastigia-  
tus, in plano alioquin solo, (unde *El pan de Matanzas* à naucleris appellatur) haud longe ab hoc portu ad occidentem juxta littus eminens, navigantibus viam ad ipsum demonstrat. Haçtenus satis tuta omnia, sed ultra versus orientem tendentibus, mare vadosum & fervens, ora importuosa, & infinitis pene insulis, rupibus, arenarum pulvillis obsitum (*Jardin del Rey Hispanis*) quorum agmen claudit Insula Obahava. In alto brevia & dorsa pelagi objacent: inter utraque canalis modicæ altitudinis permeat, non nisi interdiu & magna cum cautela etiam à gnaris enavigandus.

Quinquaginta circiter leuc. à Matanza versus ortum, portum de *Iucanaca* consti-  
tuit *Herrera*, juxta ejusdem nominis cornu; duobus & viginti gradibus & triginta  
scrupul. ab æquatore versus arctum, ut observat *Oviedus*.  
d. i. l. 9.  
c. 4.

Octo ab hoc leuc. versus eandem plagam distat (*Herrera authore*) portus Principis, à quo littus se leviter inflectit versus Eurum, & mare nunc in sinus admittens, rursusque promontoriis leniter in altum projectis excludens, porrigitur ad portum Baracoæ. Multæ insulæ toto hoc tractu jacent, quas consulto prætero, quia earum nomina, situs, intervalla, haud satis accurate à scriptoribus produntur, neque satis bene con-  
venit inter illos, qui cursuum rationes & itinerum ductus exposuerunt.

A portu Baracoæ ad promontorium Mayzi, ultimum huius Insulæ versus ortum x aut  
xii leuc. numerantur. Hoc superato littus ad occidentem convertitur, & aliquot pro-  
montoriis & sinubus effectis, ad portum S. Iacobi, unde initio digressi sumus, nos re-  
30 ducit. Atque haçtenus de portibus atque ora maritima diximus, nunc & minores  
quædam Insulæ quæ Cuba objacent aut adjacent, explicandæ.

A promontorio S. Crucis versus Zephyronotum navigantibus, Insulæ Caymanes (ita Cayma-  
crocodylos vocant barbari) obviæ fiant; tres numero. Harum prior & minima distat à  
dicto promontorio circiter viginti septem leuc. ab æquatore, uti à nostratis notatur  
gradus novendecim & quadraginta quinque scrupul. ab hac ad medium sunt sex  
leucæ, ea etiam proprio nomine Bracas appellatur, humilis & ponto pene æqualis,  
quinque millaria ambiens; plurimæ testudines marinæ solent ad hanc annatare à  
Kal. April. ad exitum Septemb. distat circiter tringa milliar. à lamaicæ promontorio  
quod vocant Negrillo. Ab hac ad maximam (*el Gran Cayman* vulgo) sunt duodecim  
40 leucæ; distat illa ab æquatore (uti à nostris observatum) novendecim gradus & trigin-  
ta quinque scrupul. humili solo, & spinetis aspero; nulla hic animantia reperiuntur  
præter yguanas & peregrinum quoddam animalculum vulpeculæ non absimile, testu-  
dinum ovis vicitans; quæ ad hanc Insulam immenso numero solent annatare à mense  
Maio ad Octobrem, ut fætus suos in arido excludant. facilis aditu, mari quod am-  
bit satis alto, nec ullis rupibus brevibusve contaminato; sub australi latere juxta  
arenosum sinum commodam navibus stationem præbet. Porro hæ Insulæ incultæ pe-  
nitus atque inhabitatæ sunt, & fere dulcium aquarum inopes, (nisi quod in majori  
alicubi reperiri aquam haud impotabilem à nonnullis traditur) paludibus falsis &  
alta uligine maxima sui parte squalent.

50 Insula de Pinos australi Cubæ lateri objecta, & non nisi vadoso freto ab ipsa divisa,  
x leuc. in longitudinem, vi aut vii in latitudinem patet; xi viii leuc. à majore Cayma-  
ne versus Argesten: duodecim à promontorio de Corrientes versus ortum. In medio  
Insulæ aliquot montes sese efferunt, ceterum plana & nemorosa & dulcium aquarum  
compos: inculta quidem & inhabitata, sed armentorum gregibus ob pabuli ubertatem  
abundans, quorum causa Hispani statim temporibus illam solent invisere: distat  
ab æquatore unum & viginti gradus versus Arctum.  
I. de Pi-  
nos Insu-  
læ.

## JAMAICA.

## C A P. XV.

*Jamaica Insula situs, Urbes, Littora, Portus, alia.*

d.i.1.6.  
c.3. **A**B Hispaniola ad Occasum, à Cuba ad Austrum jacet, quam Christophorus Columbus olim Sancti Iacobi Insulam nominaverat, nunc autem *Jamaica* nomine notior est: Medium illius decimus octavus latitudinis septentrionalis gradus intersecat, licet *Herrera* & *Oviedus* de latitudine illius aliter scribant & inter decimum septimum & octavum gradus includant. Viginti leucarum intervallo à Cuba disiungitur, totidemque ab *Hispaniola*, licet *Herrera* in Historia sua viginti quinque leucarum distantiam ab Hispaniola prodat, quam Hispani primis illis temporibus, quum Columbus à continenti Australis Americæ rediens navem ad hanc insulam fregisset, duobus litoribus monoxulis, ausu quidem temerario, sed felici successu superarunt. Centum & quinquaginta leucas ambitu suo complecti creditur, quinquaginta leucas inter ortum & occasum producta, viginti aut paulo plures lata. Insula hæc præter cæteras cœli solique bonitate excellit, maxima sui parte plana atque campestris, quæcumque ad vitam humanam necessaria sunt, læta ubertate profundens: Equorum, taurorum, vaccarumque & porcorum benigna genitrix 20 atque altrix; frumentum quidem nullum aut parce admodum fert, sed illius loco Yucam, è qua *Cassavi* conficitur tanta fæcunditate, ut hæc cæterarum insularum horreum merito censeri possit. *Gossypium* hic largissima copia passim crescit (unde & textura pannorum hic potissimum viget) uti & alii fructus, quos aut naturæ conditor ab origine huic benigne admodum tribuit, aut hominum industria & diligentia aliunde importavit. Quum primum Hispani hic appellerent, à multis barbarorum millibus colebatur, qui jam diu & crudelitate dominorum & sua ignavia defecerunt.

Pauca in hac insula sunt oppida pro tanta claritate, neque admodum frequentia: Omnino tria hodie numerantur, eorumque præcipuum *Sevilla* ad septentrionalem Insulæ plagam, ab exordio illius versus occidentem, haud longe à mari: hic Cathedralis Ecclesia, Abbatæ titulo insignis, & vel potissimum Abbatis sui Petri Martyris Anglery, non indiligentis rerum Indicarum scriptoris nomine nobilitata. Proximum illi ad orientem nec amplius undecim leucarum itinere à priori distans, oppidulum *Melilla*, naufragio Columbi insigne, quum è *Veragua* infœsta navigatione hic appelleret. Tertium oppidum *Oristan* ad australem Insulæ plagam, haud longe ab occidentali illius capite jacet, quatuordecim ab oppido *Sevilla* leucis. Vrbis autem *de la Vega*, à qua olim Columbi ducum nomen sortiti, aut aliarum coloniarum, quarum adhuc hodie nomina nonnullæ tabulæ geographicæ servant, vix ulla hodie memoria superat.

Angli anno c. 1515 xcvii Antonio Sherleio Equite ductore, principali urbe intercepta maximam Insulæ partem subegerant, sed haud ita dudum obtinuerunt, sponte sua illam deferentes.

Litus hujus Insulæ qua maxime in orientem vergit, promontorium in altum producit, *Morantæ* nomine, à quo littus paulatim recedit versus Libonotum & aliquot sinubus mare admittit: Deinde directe progreditur in occasum, ad promontorium usque *de Falcon*, à quo rursus ad Corum convertitur, usque ad promontorium *del Negrillo*, quod extrellum jacet ad occidentem: hinc rursus littus ad Orientem revertitur, atque in hac septentrionali plaga varias habet stationes & portus, quorum præcipuus *Seville* adjacet, proximus autem *Melilla*, decem à priori leuc. versus *Ortum*: tertius decem item leucarum intervallo *Ianta*, totidemque à promontorio 50 *Morantæ* versus occasum, ut *Herrera* annotavit: *Oviedus* his addit *Anton* & *Quiagata* portus, incertis intervallis.

Porro hæc Insula quum soli ubertate, sylvarum amoenitate, & omnium rerum copia facile cum cæteris certet, tamen propter portuum paucitatem, stationumque incerta difficultis aditu judicatur: quamplurimi enim scopuli, & insulæ propter crebra vadorum brevia naufragiis infames, aut adjacent aut objacent: vicinissimæ nec ultra

quin-

quinque leucas versus meridiem ab ea disjunctæ *Hormigæ* insidiosæ cautes: deinde <sup>Hormigæ.</sup> *Vivoræ*, insulæ aliquot parvulæ, cæcis rupibus & vadis circumdatae, septem à Iamaica <sup>Vivoræ.</sup> leucis versus austrum: Longius distat *Serrana* ad altitudinem quindecim graduum, <sup>Serrana.</sup> tribus quatuorve insulis constans, vadoso & scopuloso in circuitu mari, nec nisi cum pernicie navigantium adita; dehinc *Serranilla* à *Serrana* versus Argesten, aliquot alveis <sup>Serranil.</sup> intersecta, & ab Euro in Corum extensa ad altitudinem quindecim graduum & triginata scrupulorum, non minus quam prior frequentibus vadis & cautibus undique vallata: Longinquiora discrimina non commemoro, & Continenti propiora, licet non minus quam jam dicta, hoc mare sulcantibus metuenda sint. Ad oram autem borealem, nequa pars periculo vacet, scopulus objacet, quem haud vana monentes naucleri *Abre-Oio* appellant.

Atque hæc de Iamaica dicta sunt, qua, nisi tam difficilis aditu judicaretur, quum loco pene medio inter Majores Insulas & Americæ australis continentem posita sit, nulla alia navigantibus opportunior esse posset.

## L V C A Y Æ I N S V L Æ.

## C A P . X VI .

*Lucayarum Insularum situs & qualitates.*

20

**M**INORVM Insularum ingens, sed incertus est numerus, quarum illæ, quæ Hispaniolæ atque Cubæ ad septentriones prætenduntur, uno nomine vulgo *Lucayæ* appellantur, ab illarum maxima atque extrema versus Arctum: alii easdem in tres classes distinguunt, quarum priori comprehendunt eas, quæ ab Insula Bahama atque illius celebri freto versus Orientem exporriguntur; secundâ illas, quæ vulgo Organa, Martyres & Caios communi vocabulo appellant, quæ quum fere scopuli sint aut arenosæ insulæ, pelago ut plurimum æquales, navales facile decipiunt, & iisdem non raro perniciem adferunt: Tertia deniq; Tortugas. Nos de iis secundum literarum ordinem dicemus, seriem illarum atque connexionem Tabula geographicæ ostendit.

*Abacoa* in medio vadorum atque brevium, quibus ab insula Bimini nomen inditum, duodecim leuc. longa, dimidio minus lata.

Her. d. I.  
1. 9. c. 12.

*Achecambey* præcedenti proxima ad orientem, incertæ magnitudinis, nec Antonio Herrera non nisi semel in historia commemorata.

*Amaguao* à Ianne Poncio de Leon inventa juxta Yagunam.

d. I. I. 9.  
c. 10.

*Amana* vel *Amaguana* ab insulis Caycos pene ad Corum sita, cuius magnitudo à scriptoribus non proditur.

*Bahama* tredecim leuc. longa & octo lata, ut *Herrera* restatur, à qua freto nomen, omnium quæ in novo orbe reperiuntur, rapidissimo; quippe fluctus tam pernici cursu inter Floridæ continentem & objecta vada atque insulas versus arctum sese evolvit, ut ventos & navigia plenis velis frustretur. Viginti octo gradus ab æquatore insulam distare volunt. Fretum autem Bahamense patet in latitudinem quidem sedecim leucas, in longitudinem autem à promontorio Floridæ versus arctum quinque aut sex supra quadraginta.

d. I. I. 9.  
c. 11.

*Bimini* in medio vadorum & brevium, quibus nomen dedit, quinque leucas longa; à Ianne Poncio olim studiose quæsita, egregio credulitatis Hispanicæ argumento, nam ab Indis sibi persuaderi passus erat, in ea fontem reperiri, cuius haustu senes juventam postliminio recuperarent: Insula alioquin, si Poncio credimus, & sylvarum opacitate amœna, & dulcium laticum scaturigine irrigua.

*Caycos* insularum aliquot veluti orbis, crebris intercurrentibus alveis & vadoso versus ortum longe lateque mari: quarum una, quæ reliquas magnitudine superat, per excellentiam *Caicos* appellatur: Belgæ nostri qui anno c. I. O. c. x. IIII hic in anchoris constiterunt sub latere quod aquilones spectat, stationem satis laudant: mare haud longe à littore x aut xii orgyas altum, ubi paulum recesseris ita profundum, ut nullæ anchoræ sidant. Salis abunde hic reperiri à Lusitanis traditum fuit, id ante paucos annos Anglos & nuper Nostrates decepit, nam studiose investigantes, tam in majori quam

quam vicinis aliquot minoribus insulis, ne micam quidem salis invenerunt, licet lacunas quidem & areas sali coagulando idoneas, quamplurimas offendissent: harum insularum maxime orientalis distat ab æquatore unum & viginti grad. & viginti sex scrupul. occidentalior autem scrupul. quinque & quadraginta.

*Ciguateo* ab Insula Lucayoneque ad orientem, & altitudinem septem & viginti graduum (ut Herrera tradit) viginti quinque leucas ambitu suo complecti dicitur.

*Conciva* parva insula, haud longe à Caycis, & haud dubio illarum una, ad ortum ab Amana.

*Curateo*, haud multo major, australi Ciguateo lateri objecta ad altitudinem sex & viginti graduum, ut Herrera tradidit: ut nostri nuper observarunt, distat à Guanima circiter octo millaria versus Corum, ab æquatore sex & viginti gradus & decem scrupul. hic dulces aquæ in stagnis reperiuntur.

Her.d.r. 1.1. c. 12. *Guanahani* omnium insularum novi orbis primò à Christophoro Columbo in- venta, & S. Salvatoris nomine signata, ad altitudinem viginti quinque graduum & quadraginta scrupul. arboribus opaca, nec dulcium scaturiginum inops; gossypii, prout & aliæ multæ, fera: habet & portum commodum sub latere septentrionali, qua vergit ad occasum. Nostrates qui nuper adierunt, testantur, abesse à Triangulo versus Corum millaria sedecim, ab æquatore gradus quatuor & vinginti, scrupul. quinquaginta, nihilque jam ferre præter Palmitos & fruticeta.

*Guanima* præcedenti versus Corum proxima, & non nisi septem leucarum intervallo diffita, Columbo quum primum illam adiret S. Maria de la Concepcion nominata: abest (uti à nostris observatum) ab æquatore quinque & viginti gradus, & quadraginta scrupul. patetque in longitudinem inter Eurum & Corum millaria duodecim, undique rupibus & vadis cincta: solo interius fertili & ameno, nec dulcium aquarū inope.

*Guatao* distat à Curateo decem millaria versus Aquilonem, orientalis illius pars abest ab æquatore viginti sex gradus & quadraginta quinque scrupul. occidentalis viginti septem grad. & pauca scrupul. qua patet in longitudinem inter ortum & occasum minutis insulis, rupibus, & vadis incincta.

*Luacioneque* sive *Tucayoneque* (utroque enim nomine notatur) harum insularum maxima & extrema; inter vigesimum septimum & octavum latitudinis septentrionalis gradus, in longitudinem producta, nec hactenus nisi solo nomine satis nota.

*Macarey* ad altitudinem viginti graduum prodit Herrera (in quo tamen ipsum falli non est dubium) vadoſo ambitur mari & frequentibus brevibus infido.

*Manegua* ad altitudinem viginti quatuor graduum & triginta scrup. juxta Amaguayo, uti ab Herrera collocatur. Nostrates observarunt illam à Tortuga, quæ Hispaniolæ objacet, versus arctum distare octodecim leuc. editamque esse & montosam.

Her.d.r. 1.9. c. 10. *S. Martha* ad Floridæ continentem sita, unam tantum leucam longa, & dulcium aquarum scaturagine, ut ferunt, rigua.

*Martyres* non tam insulæ quam scopuli, australi Floridæ promontorio objecti, ad altitudinem quinque & viginti graduum: occasum inter atque ortum seriatim collati; nomen ab imagine inditum, quam ex alto prospicientibus ostendunt, quasi homines palis suffixos: infausti nominis omni haud male eventus respondit, crebris enim naufragiis & multorum exitiis infames sunt facti: horum scopolorum extimos ad orientem, nautæ *Cabeza de los Martyres*, id est Caput Martyrum, vocant, & ex eorum positu de progressu suo judicant; certissimum enim indicium est, rectum freti Bahamensis alveum ingressos, ubi caput hoc ad levam versus africum reliquerint: sunt autem tres tumuli arenæ alblicantis, pleni arbustis, eorumque medius ceteros duos magnitudine & convexitate præcellit.

*Mayagvana* distat ab æquatore viginti duos gradus & viginti quinque scrup. ab occidentali Insula Caicos versus Corum duodecim millaria; inter Corum atque vulturum projecta, & circiter octo aut novem leucas longa, uti nuper à nostris observatum fuit.

*Mimbres* exigua insula (vel potius rupes) ad extremitatem brevium Bimini, nautis qui fretum Bahamense transeunt, in primis cavenda.

*Miraporvos*, id est caue tibi, nomine à re ipsa quæsito, tres sunt insulæ trianguli in modum, inter vada & rupes dispositi, haud longe à Yumeto.

*Pola*m insulam ad Floridæ orientalem oram & altitudinem sex & viginti graduum & 30.scrupul. Poncii navigatio aperuit, cætera ignobilem.

*Samana* haud longe à Guanahani versus Eurum, triquetra forma, ad altitudinem viginti quatuor graduum, ut primis illis temporibus observatum, uti autem à nostratisbus, distat à Mayaguana versus Corum duodecim millaria, ab æquatore gradus viginti tres & viginti scrupul. patet in longitud. iv in latitud. unum milliar.

*Saomoto* quarto loco à Columbo inventa & Isabella dicta, nunc incognita.

*Tortuga* in primis memorabiles nautarum observationibus, septem aut octo sunt parvæ insulæ ab extimo Floridæ cornu versus occidentem, veluti in orbem dispositæ, 10 ad altitudinem, quinque & viginti gradum & paulo amplius. Habanæ portui triginta sex leucarum intervallo è directo oppositæ.

*Triangulo* insula distat à Samana versus Corum septendecim aut octodecim millaria, ab æquatore paulum supra quatuor & viginti gradus; edito est solo, sed stationes habet valde intutas, & difficulter admodum potest adiri.

*Veia* minores aliquot insulæ inter vada & brevia (*los Baixos de Babueca* vocant Hispani) consitæ ad altitudinem octo & viginti gradum versus arctum, nisi forte hic fal-latur Herrera, ut interdum alibi. d. i. 1. 9<sup>e</sup>  
c. II<sup>e</sup>

*Tabaque* haud longe à Maguana versus Corum ad altitudinem viginti duorum gra-dum & triginta scrupulorum, eodem Authore.

20 *Ynagua* decem leucas ampla, ad altitudinem unius & viginti gradum & aliquot scrupul. (ut à nostratisbus observatum) ab insula Tortuga, quæ septentrionali Hispaniolæ lateri adjacet, versus Corum, nautis observanda, qui è portu S. Ioannis de porto Rico, versus Habanam navigant, secus septentrionale Cubæ latus, per veterem, ut vocant, Canalem; qui jam rarissime navigatur.

*Ruma* viginti leucas longa, octo lata, ad altitudinem viginti gradum & triginta scrup. haud procul à Guanima versus africum.

*Yumeto* à præcedenti ad Austrum sub ipso Cancri Tropico, quindecim, ut Hispani produnt, leucas in longitudinem porrecta.

30 Longe plures hic jacent Insulæ, sed tam incerti nominis & variis situs, ut referre pigeat: omnes autem hasce insulas aut certe plerasque, incolis refertas fuisse, quum primum Hispani duce Columbo illas adirent, scriptores rerum Indicarum uno con-fensu tradunt, nunc penitus sunt desertæ, indigenis omnibus ab Hispanis aliò traductis & ibidem laborum intolerantia, inedia & exquisitis suppliciis, extinctis; unde jam raro hæ insulæ, nisi præter propositum, adeuntur.

## C A N I B A L E S I N S V L A E .

### C A P . XVII .

#### *Canibalum Insularum situs & proprietates.*

40 **A**B Orientali latere Insulæ S. Ioannis de porto Rico, ad Americæ australis con-tinentem usque, quamplurimæ minores insulæ arcuato ductu interius mare veluti claudunt, quæ ab indigenarum ingeniosis Caribes & Canibales, id est Anthropophagæ vulgo appellantur; in quibus describendis eodem, quo supra com-pendio & ordine utemur.

*Anegada* ab Insula S. Ioannis versus ortum, à Saba duodecim millaria versus Corum sita, ad altitudinem octodecim gradum, & triginta scrupulorum; patet in longitudinem circiter septem leucas; nomen à re inditum, æqualis enim freto est & vadoso undiquaque mari, navigantibus fallax.

50 *Anguilla* oblonga insula, sed angustissima, unde & nomen: sita est ad orientem Insulæ S. Ioannis, decem & octo gradibus & viginti quatuor scrupul. ab æquatore ver-sus arctum: sterili solo & dulcium laticum expers, salinas tamen habet satis opportu-nas, sed modicas.

*Antigua* quæ & *S. Maria del Antigua* ad altitudinem sedecim gradum & triginta vel quinquaginta scrupul. inter Barbadam atque Desseadam medio veluti intervallo; sex septemve leucas longa & lata: accessu difficilis propter incerta vadourum; nostra-tes

tes qui casu ad hanc delati, hic anchoras fixerant anno c<sup>15</sup> I<sup>5</sup> c<sup>15</sup> xxi<sup>111</sup> & in terram descenderant, nihil se hic præter silvas & paludes & profundas uligines reperisse testantur; inculta quippe est & dulcium aquarum inops.

*Avium* insula, harum omnium pene intima & maxime occidentalis, sita est ad altitudinem quindecim graduum & quadraginta quinque scrupul. ponto pene æqualis, ideoque navigantibus infida.

*Barbada* ad altitudinem septendecim graduum & triginta scrup. à Monserrate versus aquilonem duodecim aut tredecim mill. ab Antigua versus arctum; & ipsa humilis, & vadoso in ambitu mari navigantibus insidiosa, à nostris tamen ut supra sine discrimine adita, sinu satis commodam stationem navibus præbente, sed nihil ab ipsis inventum, quo operæ pretium foret illam adire, humili enim est solo atque effato, circiter quatuor milliar. longa.

*Barbados* vel *Barbudos* omnium harum insularum pene extrema versus orientem, ad altitudinem tredecim graduum & viginti aut paulo plurium scrupulorum, inter aquilonem atque africum in longitudinem exponrecta, forma ovali, & uti à nostris nuper observatum, circiter sedecim aut octodecim milliaria ambitu suo complexa, longeque major quam haec tenus in Tabulis geographicis fuit expressa: solo admodum alto & Anglia non absimili, septentrionali tamen parte altior, arboribus amœne virentibus ubique obsita. Litus orientale crebris recessibus, & procurentibus vadourum brevibus intercisu: australe autem latus magnum maris sinum admittit, stationem navibus permodam præbens, ubi & modicus amnis in mare descendit. Solum nihil magni promittit; nisi quod abunde hic crescit arbor, cuius cortex Gingiber æmulatur, acrimonia insigni, (nostrates vocant *Cofte;*) folia illius obscure virent, anteriori parte rotunda; flores fert minutos & Sambuci instar in umbellam collectos, qui foliolis constant quinis, exteriori parte purpureis, intus aureis: Cortex levis, & materies dura, interius subnigra, amat ripas & uliginosa loca. Plurimos porcos alit insula. Angli ab anno c<sup>15</sup> I<sup>5</sup> c<sup>15</sup> xxvii coloniam ad hanc deduxerunt, & lucos eradicarunt ad Tabacci sementem faciendam; multas quoque arbores fructiferas, aurantias malos & similes aliunde importarunt.

*S. Bartholomæi* insula sita est ad altitudinem pene septendecim graduum: ab Insula S. Martini versus Eurum, Barbada versus occasum, S. Christophori versus ortum: ambitu est satis spatiose & solo editiori, sed accessu difficilis, ob vada & brevia quæ ipsam cingunt.

*Beke* vel *Bekia* cuius Hispani in suis commentariis non meminerunt, & quam à nostris primum aditam credo, tribus vel ut alii volunt, quinque leucis distat ab Insula S. Vincentii, decem pene milliaria ambiens, sinum habet unicum, insigne adversus incertæ ventorum latibulum; ipsa insula crebris arboribus opaca est & fertilibus campis: habitationi hominum non incomoda esset, nisi dulcibus aquis destitueretur: distat ab æquatore duodecim gradus & viginti quatuor scrupul. versus Arctum, ab Insula S. Vincentii versus Eurum.

*S. Christophori* Insula, inter Nieves & S. Eustatii insulas media, ad altitudinem septendecim graduum & viginti aut triginta scrupulorum; patet in longitudinem inter Eurum & Corum milliaria circiter sex: latitudinis inæqualis, nam qua Corum adspicit, supra duo milliaria lata, ubi circiter quatuor mill. descendit versus Eurum magno sinu mare accipit & desinit in angustias. Solum montibus editum, sed maxime versus Cortum, versus Eurum varias salinas habet. Superioribus annis Galli juxta atque Angli hic sedes fixerant, Tobacci colendi gratia (quod hic natum plurimum commendatur) & incolas anthropophagos omnes aut deleverant aut alio compulerant commigrare, insidiarum in advenas, ut ajunt, manifestos: quum à Toletano qui cum maxima Hispanorum classe hic appulerat, hanc deserere fuerunt coacti; sed utrosque ad illam jam postliminio rediisse testantur nostri, rursusque colendis agris & Tobacco serendo operam dare.

*Deseada* ad altitudinem sedecim graduum & decem scrupulorum versus arctum, uti à nostris nuper accurate est observatum: decem leucis à Guadalupe versus boream: sex aut septem à Marigalante: hæc insula Christophoro Columbo secundo ad has partes naviganti primo occurrit: ad hanc Hispani inde à Canariis insulis cur-

fus

fus suos solent dirigere: jacet inter Cæciam & zephyronotum, nuda arboribus & primo aspeetu tremi similis, aquilonari sui parte depressior: à septentrionali in conum videtur assurgere; solumque nigricans, lineamentis quibusdam albis atque subrubentibus interstinctū appetet; mare ab hac parte vadofum & crebris rupibus vorticōsum.

*Dominica* duodecim (ut Hispani tradunt) leucas longa, pauciores lata, ad altitudinem quindecim graduum & triginta scrupulorum, tribus circiter leucis à Matinino versus Corum; inter quem atque Eurum jacet; versus Corum elatior, & eminus conspicientibus bipartita videtur, propius accedentibus una: sinus commodas aliquot stationes præbent. Hanc insulam hodieque multi *Caribes* (ut vocant) incolunt; nudi agunt, totum corpus rubrica quadam tinti: humanis carnibus vescuntur, Hispanis maxime infensi, neque cuiquam satis fidi, nisi quum nocere non audent aut non possunt: comam tam viri quam fæminæ alunt; Regulum suum habent, cui parent, cultu corporis non nihil à cæteris distinctum. *Tobacci* feracissimum est solum, hanc herbam unice colunt & Europæis pro cultris, securibus, aliisque ferramentis vendunt. Fontes duo calidi hic celebrantur, quorum alter juxta fauces amplissimi sinus qui *Corum* spectat, haud longe à mari ad ripam amnis erumpit. Occidentale latus portum Ouled. 1. 6. c. 13. habet satis commodum & aquationi è fluviolo, viginti passus lato, qui ibidem exit, peropportunum; *Aguadam* vulgo vocant Hispani.

*S. Eusthatii* insula exigua est (licet Herrera ipsi decem leucarum ambitum falso tribuat) ab insula S. Christophori versus Corum; à Saba versus Eurum: ad altitudinem septendecim graduum & quadraginta scrupulorum, uti à nostris nuper accurate est observatum: assurgit in conum & è longinquo conspicientibus Sacchari panis videtur.

*Granada* continentis Americæ australis proxima, ad altitudinem duodecim graduum & quindecim scrupul. octodecim milliar. ab insula S. Vincentii versus Africum, quo intervallo minores aliquot insulæ sparsæ sunt, quas vulgo *Begos* vocant. Forma est semicirculari & ad lunæ renascentis modum: patetque in longitudinem inter arctum & austrum circiter sex milliar. ad utrumque cornu vix unum lata: cornu illius quod versus africum protenditur, sinum concludit aquandi opportunitate in primis commendatum: tota insula densis lucis obsita est; solo nihilominus pingui & fœcundo, sed cancris quibusdam terrestribus obnoxio, qui sata & radices arrodrunt: quanquam quidam malum hoc non ultra vicina littori loca serpere opinentur: plurimi quoque *Armadilli* (quod animal alibi describam) hic reperiuntur: à mense autem Iunio ad Octobrem multæ testudines marinæ & non pauci Manati hic capiuntur. Incolunt *Caribes*, à cæteris insulanis neque moribus neque feritate diversi, qui tamen appellantibus quum nocere non possunt, varios fructus vendunt, cautius vitandi quum maxime blandiuntur, uti nostrates jam aliquoties cum suorum exitio sunt experti.

*Guadalupe* barbaris olim *Carucueira* dicta uti *Martyr* prodidit, jacet ad altitudinem sedecim graduum & quindecim scrupul. ut nostri satis accurate observarunt; à Dessea da versus occidentem: octo circiter milliar. inter aquilonem & africum longa. latus quo africum aspicit, in juga erigitur; quo vero orientem haud minus erectum, in fastigio planicie quadam sternitur; ab Austro ad septentriones, tenui alveo & non nisi cymbis & monoxylis lintribus pervio, veluti in duas insulas dispescitur. ad australem plagam alto mari & anchoris figendis peridoneo cingitur: Incolunt Barbari eisdem quibus cæteri insulares, *Caribes* moribus. Hic classes ex Hispania venientes hodie aquari solent atque in diversa discedere.

## C A P . XVIII.

*Reliquæ Canibales Insule, earum situs, & qualitates.*

*S. Lucia* insula sita est tredecim gradibus & quadraginta scrupulis ab æquatore versus arctum, uti à nostris accurate observatum: ab insulis *Dominica* & *Matinino* versus austrum: valde montosa est: ad latus quo africum aspicit, bini montes exiguo intervallo à se invicem discreti, incisis undiquaque rupibus in summam altitudinem surgunt, qui supra reliquam insulam è longinquo conspiciuntur. Incolæ nudi agunt, totumque corpus rubrica illinunt, faciem autem quibusdam lineamentis ab

ab auribus ad oculos usque inducunt, crinibus nigri, moribus ut cæteri immanes. Solum fertile esse quidam observarunt, sed alii infœcundum asserunt & ideo ab incolis nuper hanc insulam desertam.

*Marigalante* quinque à Desseada leucis versus austrum, & totidem pene à Dominicâ versus boream; ad altitudinem quindecim graduum & quadraginta scrupulorum; plana fere & nemorosa, ita ut è longinquo intuentibus arbores mari innatare videantur: à barbaris, quales sunt cæteri insulares, crebro visitatur, an etiam habetur, incertum est.

*S. Martini* insula ad altitudinem octodecim graduum & quindecim scrupulorum, ab insula S. Ioannis de Portorico ad orientem; octo aut novem milliaria ab insula S. Christophori versus Corum, ab Anguilla versus Eurum; ad arctum multis minoribus insulis, & ponto pene æqualibus obsita. Patet in longitudinem uti à nostris est observatum, quinque aut sex milliar. in latitudinem quatuor. Dulcium aquarum indigâ, à nullis barbaris incolitur. Accessu haud ita difficilis, stationes habet ad occidentale latus satis opportunas, & aliquot salinas, præsertim unam grandem quæ duo milliaria ambire dicitur, absolutissimi salis feracem.

*Martinino* sive *Matilino* (ab indigenis *Madaninam* olim dictam & à solis fæminis habitatam Martyr testatur) ad altitudinem quatuordecim graduum & triginta scrupulorum, tribus circiter milliaribus ab Insula Dominicâ versus vulturum: tota consurgit in juga, in medio autem tres colles præ cæteris eminent, quorum altissimus rotundio apice pilei formam repræsentat, & à quacunque parte advenientibus primum conspicitur. Incolitur ab aspera atque inhumana gente, & præ cæteris harum insularum barbaris bellicosâ: sed quam nostrates, quum superiori anno hanc lustrarent, sibi vilam negavit, an alio migraverint incertum.

*Montserrate* sita est ad altitudinem graduum pene septendecim versus arctum, uti à nostratisbus nuper observatum; à Guadalupe versus zephyrum milliar. undecim; à Rotunda versus Eurum quinque. forma est fere orbiculari, tria milliaria longa & pene totidem lata. duos habet arenosos sinus, qui stationes satis commodas navigantibus præbent; eorum alter etiam aquationem, ob flaviolum qui de montibus in sinum descendit, licet nonnumquam ab æstu matino oblitus. Solo est elato, pingui & nemorofo ideoque & culturæ haud inepto.

*Nieves* quinque leucas ambitu complectitur, ad altitudinem septendecim graduum & viginti scrupulorum versus Arctum; tribus circiter leucis à Rotunda versus Corum, septem à Montserrate; à S. Christophori insula unam versus Eurum: duo milliaria longa, media sui parte edita; densa arboreum luce opaca, & dulcium aquarum torrentibus rigua: Dominicæ incolæ huc venandi causa ventitare solent. Fontes calidos hic reperi ab Anglis accepimus, qui coloniam deduxisse ad hanc insulam anno 1515 CXXVIII, dicuntur.

*Rotunda* vulgo *Redonda* ab insula Nieves versus Eurum, à Montserrate versus Corum sita, ad altitudinem septendecim graduum & decem scrupul. & ipsa parva, orbicularis & media sui parte fastigiata, pene panis in modum: accessu facilis, mari circumquaque alto minimeque insidioso.

*Saba* ab insula S. Eustathii versus Corum, illaque paulo minor, sed rotundior, circa medium in conum consurgens, panis Sacchari æmulum: mari haud satis alto cingitur, nec tamen navigantibus metuendo, quum nihil discriminis occultet. sita est ad altitudinem septendecim graduum & triginta quinque scrupul.

*Sancta Crux*, indigenis olim *Ayay*, ad altitudinem septendecim graduum & viginti quinque scrupulorum uti à nostratisbus accurate observatum, duodecim aut quindecim leucis ab Insula Joannis de porto rico versus Eurum. circiter octo milliaria longa; montes habet editos, & eminus videtur divisa, occidentali sui parte editissima; sub qua & commodam navibus stationem præbet: nemorosa est, sed dulcium laticum haud satis compos: inter arbores fructiferas sunt quædam, quæ fructum ferunt instar pomi viridis, quo manso, lingua hominibus ita inflatur, ut viginti quatuor horarum spacio omnis illius usus impediatur, nulla in posteru noxa; sponte enim tumor remittit. (*Macanillo* esse credo, quem fruticem jam ante descripsimus.) aqua palustri, quæ hic abundat, non ante Solis exortum faciem lavare, cautio est, nam ita intumesceret ut visum

visum impediret; sole jam exorto, minus noxie est. Hæc Angli, utrumque suo danno edocti, nos monuerunt.

*Santos* tres quatuorve minutissimæ insulæ, exiguo intervallo disiunctæ; ab Insula Guadalupe versus Nothum, & inter hanc & Dominicam mediæ.

*Sombrero* à pilei figura siccicta, parvula insula, ab Anegada versus Eurum ad altitudinem octodecim graduum & triginta scrupulorum in medio vadorum sita.

*S. Vincentii* insula, à S. Lucia versus austrum; à Barbados sedecim aut paulo plura millaria versus Favonium; ad altitudinem tredecim graduum, ut postremo accuratè à nostris observatum. Figura est pene rotunda & insulæ Fetro, è Canariis uni, non ab similiis, sex millaria longa inter ortum & occasum. Solum est admodum fertile, ita ut etiam cannas Saccharis sua sponte producat, multis torrentibus & amniculis riguum. Secundum oram quæ occasum & africum spectat, plures habet sinus & in iis stationes peropportunas; ubi & aquatio facilis & exscensus commodus. Incolis idem quod viciniis ingenium, iidem mores; statura sunt modica, socordes & de solo vieti solliciti: & tamen, quod mirum, lintribus suis uniligneis ad Continentem, quæ nusquam minus triginta quinque milliaribus abest, trajiciunt & ad insulam suam remeant sine ulla nauticæ pigidis ope. Ab hac ad Granadam non nisi duodecim aut circiter leucarum iter esse à nostratis superioribus annis est obseruatum, aliquot minoribus insulis interjectis (*Begos* vocant) de quibus nihil necesse est dicere.

○ *Virgo Gorda* ab insula Saba versus Corum, alta atque rotunda, in fronte minorum Virginum locata. quæ decem aut duodecim numero, versus insulam S. Ioannis de Portorico atque in occidentem exporriguntur, altæ atque arboribus vacuae; ad altitudinem octodecim graduum versus arctum: periculosæ dudum creditæ propter vadæ atque brevia, sed immerito, ut Angli testantur, quum alvei satis alti intercurrent & vel mille navibus stationem præbere valeant: piscium hic magna copia, neque minor volucrum. Nonnullæ ex his aut saltem succedaneis peculiaria nomina à navigantibus meruerunt, de quibus iteneraria nautica sunt consulenda. Atq; hæc de Canibalum insulis dicta sunt, quarum pleræque desertæ, paucæ ad hunc diem ab Anthro-pophagis incoluntur, quædam denique ab Europæis colicæperunt.

30 Monendi autem sunt qui hæc maria navigant, aut circa has insulas in anchoris hærent, ut studiose sibi caveant à pisce quodam hic familiari, ne se ipsos in summum periculum conjiciant: Piscis est congro forma & mole similis, cute intense viridi & elegantissime variegata, rictu patenti & dentibus acutissimis; caro detracta cute candidissima est & non ingrati saporis, verum qualitatis adeo virulentæ ut in summum discrimen atque adeo mortem conjiciat eos qui illam gustaverint; ut in modo Angli sed & nostrates suo periculo & danno nuper fuerunt experti.

## BERM V D E Z I N S V L A E.

40 C A P . XIX.

*Bermudez* insularum situs, cœli solique qualitates.

**A** B S O L V T I S majoribus, minoribusque insulis, quas hoc libro describere proposueram, ad continentem Americæ septentrionalis jam transeundum erat, nisi *Bermudez* insula retineret, quæ licet longissimo intervallo à præcedentibus distet, nec proprie ad hanc classem pertineat, tamen vix alibi commodius de illa agi posse video. Hæc insula jam à multis annis *Bermudez* nomine innotuit à primi nimirum inventoris agnomine, & *Garze* quoque à navis titulo qua ille vebatur; quod nomen tamen jam exolevit. Ea ad trigesimum tertium gradum latitudinis septentrionalis collocatur ab Herrera, ab Anglis autem qui altitudinem illius accuratius observarunt, ad trigesimum secundum & triginta scrupula. Mille fere leucis ab Hispaniæ littore versus occidentem abesse ab Herrera traditur, ab Anglis autem, accurata uti profitentur itinerum ratione inita, à Londino primaria Angliæ civitate tria millia & trecenta millaria Anglica versus zephyro-no-

tum, à *Raonoack* denique Virginiae insula (de qua suo loco agetur) quingenta versus Eurum. Dudum Hispanorum aliorumque periculis & naufragis infamis, anno quidem *clo 1593* leviter; sed *clo 1599* plenius Anglorum opera Europæis cœpit innotescere, sed casu, uti mox dicetur.

Hispaniarum Rex jam ab anno *clo 1592* consilium ceperat, coloniam huc deducendi; suadebat enim situs opportunitas, nam ægrè à classibus per fretum Bahamense in Hispaniam revertentibus, vitari potest: amplissima in hunc finem privilegia *Ferdinando Cameo* Lusitano eo tempore indulta, sed res successu caruit.

Obscurior itaque diu post hæc insula mansit, & non nisi tempestatibus & naufragiis in annalibus signata; donec anno *clo 1599* simili infortunio *Barboterius* <sup>10</sup> navarchus Gallus hic navem frangeret, imprudentia naucleri sui eo deductus: viginti sex viri scaphæ & tabularum aliquot beneficio servati, ad insulæ hujus latus quod *Corum* spectat, evaserunt & inter illos *Henricus Majus* Anglus, qui hujus naufragii historiam cum qualicunque insulæ delineatione in lucem prodidit, postquam minori nave ibidem structa, inde cum cæteris evasisset.

Denique quum anno *clo 1599*, (navigatione ad continentem Virginiae tum apud Anglos in primis fervente) *Georgius Sommerius Eques* cum navi sua fluctuum impulsu & ventorum violentia ad hanc delatus, navi scopulis illisa, cum suis in terram enatasset, non modo clarius innotescere, sed & magni fieri ab Anglis cœpit: quamplurimi enim ex hisce in Angliam reduces, singulares hujus insulæ dotes immodece <sup>20</sup> prædicabant; à quibus hanc descriptionem accepimus.

Insula Bermudez in multas partes dividitur, oceano influente in varios sinus & pluribus alveis terram dissecante in multas insulas, quarum una cæteras magnitudine superat, omnes autem ita in cubitum fleantur, ut semilunam forma referant: portus quidem varii, satisque idonei ab ipsis observati; aditus vero tantum unus, neque ille omni discrimine vacans, propter angustias canalis inter scopulos utrimque imminentes eluctantis; mare in ipsis fauibus tres orgyas, ubi sinum intravit ad octo altum, tutissimam stationem, & adversus omnium ventorum injurias munitam præbet, ita ut anchoras figere vix opus sit, rudentibus ad arbores alligantur. Vorticosum in ambitu mare, optimorum tamen piscium fœcundum. Porcorum aliquot <sup>30</sup> greges hic inventi, quos jam olim ab Hispanis propagandi gratia fuisse relictos, dubium non est. Testudinum marinorum ingens numerus, inter prima edulia, quæ hæc insula per se hominibus præbet, numerantur: Avium variarum magna copia, præsertim littoralium & aquaticarum; inter eas quæ terram amant, prædicantur ardeæ & infinita minorum avicularum varietas; inter maritimæ autem illæ, quæ in subterraneis cavernis, cuniculorum instar, nidulantur & ova sua ponunt, magnitudine & colore gallinarum ovis paria; ipsæ carne obæsa graticque nutrimenti. Inter arbores silvestres, ingentes Cedros; inter fructiferas imprimis laudant palmitos, moros & quæ fructum quendam ferunt pyro haud absimilem eleganti colorum varietate distinctum, & veluti maculis sparsum, à quo ipsi nomen ab Anglis impositum: inter <sup>40</sup> divitias, unionum copiam celebrant, quas tamen videre nondum contigit, & ambar griseum. Cete ingentia à Ianuario mense ad Majum usque vicina maria frequentant, quorum capture levi impendio & magno emolumento tentari posset. Atque hæc quidem ab istis, postquam navi è cedrinis tabulis compacta, in patriam redissent, in vulgus disseminata; quæ cæteros Anglos facile permoverunt, ut colonias eo deducerent; sed antequam de illis agam; reliqua insulæ persequar.

Hæ insulæ cautibus & rupibus, partim cæcis, partim æstu relabente extantibus longe lateque in altum projectis, circumdatæ sunt, versus singulas pene mundi plagas; neque supra duos accessus habent, eosque aditu perdifficiles, præterquam iis quibus penitissime noti sunt, quos Angli jam adversus hostiles incursus communiverrunt; ipsum quoque littus cautibus obsitum, solis ardore & ventorum sufflamine ita induratis, ut undarum illidentium violentiæ minime cedant, aut à fluctibus deterrantur.

Solum diversi est coloris, & substantiæ inter arenam & argillam mediæ; roscidum deterius, subalbicans & nigricans mediocris fœcunditatis; subfuscum maxime fertile judicatur, nam ubi duos aut tres pedes suffoderis, albicans & petrosa humus subjacet, durior

durior quidem calce, sed mollior saxo, spongiosa & multis foraminibus, instar pumicum, pervia, aquarumque capax, huic radices arborum innexæ nutrimentum & incrementum debent; roscido solo durior & solidior humus subiacet, ideoque & infecundior est. Dulces latices subministrant putei passim effosi: nam nulli hic fontes, nulli amnes aut torrentes reperiuntur.

Cœlum ut plurimum hic serenum; aër temperatus, modice humidus & calidus, adeoque salubris: fruges & arbores aliunde huc translatæ facile succrescunt; licet fructus omnes non æque semper maturescant, propter majoris caloris defectum. Maizium bis quotannis seritur, semel mense Martio, quod Iulio colligitur: iterum 10 que Augusto, quod sub ingressum Decembribus. Nives hyeme hic admodum raræ, uti & glacies, nec minus æstate infrequentes immodici æstus, altanis ventis aërem refrigerantibus: crebra tantum fulgura atque tonitrua ingruunt, nec tamen hominibus aut animantibus damnosa. Venenata animantia nulla hic haçtenus deprehensa, ne araneæ quidem noxiæ quas hic admodum pulchras & variis coloribus eleganter distinctas reperi scribunt, quæ æstate ita validas telas nent, ut minores aviculæ illis irretiantur. Culices & muscæ hic satis molestæ; nec minus formicæ, etiam fructiferis arboribus. Inter herbas unius tantum, quæ instar hederæ arbores complectitur, aliquid venenatæ qualitatis inesse, sed admodum debilis, adhuc compertum. Inter saxa & scopulos haud longe à mari abunde crescit planta, quam Nuchtli 20 & Tunam ad continentem novi orbis appellant, de qua preciosa illa Cochinilla in nova Hispania & alibi colligitur; hic præter fructus agrestes nihil fert: sed de hac planta alibi plura dicentur.

## C A P . X X .

*Coloniae Anglorum in Insulis Bermudez.*

**A**NNO demum cI cI cxii, quum certa nobilium & mercatorū societas speciale 30 privilegium à Iacobo magnæ Britanniæ Rege impetrasset, coloni in has insulas deduci cæperunt, numero primum sexaginta sub præfecto *Richardo Moro*, & paulo post plures. Huic præfecto prima cura fuit, aditus adversus hostiles incursus munire; octo aut novem munimenta variis locis excitata & majoribus tormentis instructa, ubi cunq; hostium accessus ullo modo timeri poterat. Triennium in hisce operibus insumtum: sed toto illo tempore coloni gravissimum damnū passi sunt ab immensa glicitum multitudine, quæ è navibus in terram delatæ, tantum subito incrementum cæperant, ut sata omnia vastarent; neque ulla hominum industria huic malo obviam iri potuit, tandem uti succreverant, subito interierunt.

Moro successor datus *Daniel Tuckerus*, qui anno cI cI cxvi ad Insulam appellens, 1616. sumمام diligentiam nec minorem industriam in agris colendis, arboribusque (quas 40 plures ex novi orbis insulis advexerat) disponendis adhibuit. Agri ab ipso dimensi & colonis pro familiarum amplitudine distributi, ut jam proclive ipsis esset & victum sibi parare & merces cum appellantibus commutare. De Tabacco colendo præcipua cura fuit, cuius herbæ, non dicam usus, sed abusus, non modo in Anglia, sed & in Belgio nostro & alibi insulanum in modum jam adolevit.

Tuckero anno cI cI cxix successit *Butlerus*, qui supra quingentos colonos quatuor navibus traduxit, nec pauciores in Insula invenit, quibus adhuc plures postea accesserunt. Insulæ in certas tribus & municipia divisæ, omniaque ad Reipublicæ Anglicanæ formam composita, quæ hic minutim referre nimis longum foret. 1619.


Butlero discedente exinsulis, jam decem munimenta structa erant & duabus suis 50 pra quinquaginta bellicis machinis instructa; coloni numerati mille quingenti. Successit *Iohannes Bernardus* anno cI cI cxxii, qui intra quadraginta dies postquam appulerat, vita functus, magnum sui desiderium apud colonos reliquit. *Woodhusius* huic submissus, quid rerum gesserit mihi non constat; jam ab anno cI cI cx xiiii has insulas tribus Anglorum millibus habitatas fuisse, ab authoribus constanter proditur. Quod sane cuivis qui Angliæ dotes noverit, mirum videri poterit, quum hæ insulæ nec cæli nec soli bonitate cum illa ullo modo sint comparandæ.

Antequam huic descriptioni finem imponam, memorabile aliquot Anglorum fascinus hic nequaquam est prætereundum: Anno quippe cIɔ lɔ cxvi, quinque Angli, cymba vix trium doliorum (horum enim numero navium magnitudo vulgo æstimatur) vasto illi & fluctuoso oceano, temerario certe ausu, sese committentes, quadraginta duobus diebus, ingens illud mare trajecerunt, & ad Hyberniam incolumes appulerunt: quod licet indubitabili testimonio ab Anglis scriptoribus confirmetur, ab iis tamen, qui fluctuosi hujus oceanii discrimina, & itineris longitudinem ad animum revocabunt, difficulter admodum credetur; nos ea qua accepimus fide, referimus.

Hæ insulæ denique ob frequentia vadorum brevia, & rupes, sævasque tempestates 10 quæ plerumque circa eas solent ingruere, studiose non modo ab Hispanis, qui per fretum Bahamense redeunt, sed & ab Anglis & à nostratis, quum illud mare navigant, vitari solent; ideoque naucleri cursus suos sollicite instituunt, donec certa computatione deprehenderint, se citra vel ultra illas jam proiectos esse: nam si secus faxint, aut in calculo suo fallantur, vel ingens discrimen vel certam perniciem incurunt.

Atque hæc de insulis oceanicis dicta sunt, nam cæteras, quæ breviori trajectu à continente absunt, una cum provinciis quibus objacent aut adjacent, describam; nunc ad Continentem me accingo.





NOORD

NOVA FRANCIA  
et  
REGIONES ADIACENTES.

ZUYD



